
DISPVTATIO
De Sanctorum origine,

anonizatione, cultu, inuocatione, reliquijs & imaginibus, Anno sexagesimo octauo in Academia Ingolstadiana proposita, publiceque defensa.


IOB. 5.

Voca si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere.





Ingolstadij ex Officina Vueissenhorniana. Anno 1568.



מתרגם סוריא
מח חסית מאריא. שופטי יך



ἀδέσποτον.

ξὼν πεσσοῖσι λέων στεφανηφόρος ἔργα παλαιῶν.
ἡγεμόνων βοΐης δείκνυται ἀμφοτέρης.
καὶ μάλα. λὶς μὲν γὰρ δεινόν τε καὶ εἰπύ τι δέρκων,
τὸ κράτος ἡρώων ἐν πολέμοις φανεροῖ.
ἀλλὰ τὸ παππώης τῆς πίστος εὐσταθὲς ἄγχι
κείμενος ἐμφαίνει τε ξαβάμων ὁ κύβος.

DE SANCTORVM ET SANCTITATIS origine, Theſis I.



PRæter Deum uberrimum totius ſanctitatis fontem, nonnullos alios ſanctos, & à uitiorum ſordibus immunes eſſe, certiſſima fide tenendum eſt.

1.Pet.1. Leuit.11. Matth. 27. Pſal.15.

II.

Sanctitatis nomine, non quamuis animi mundiciem, mentisúe in Deum, diuinasq; functiones applicationem intelligimus, ſed conſtantem minimeq; fucatam.

S.Thom.1. d.10. 4.2.d.3.q.1.ar.1. 22.q.81.art.1.

III.

Eſt autem ſanctitas generatim accepta bipartita, altera imperfecta & uiæ, altera perfecta & patriæ: hæc omnem excludit pœnam & culpam: illa (priuilegio ſecluſo) ad utramlibet facultatem ponit.

Rom.1.12.15. Apoc.7.21.

IIII.

Efficiens ſanctitatis cauſa, eſt Deus Opt. Max: meritoria Dominus noſter Ieſus Chriſtus: inſtrumentalis regenerationis uel reconciliationis Sacramentum: formalis ſanctitas & iuſtitia Dei, non quibus ipſe ſanctus & iuſtus eſt, ſed quibus nos ſanctos & iuſtos efficit: finalis Chriſti gloria & uita æterna.

ſyno. Triden. ſeſs.6.c.7.

V.

Ad ſanctitatem remotè diſponit legitimus liberi arbitrij uſus: propinquè gratia Chriſti, mentem fide illuſtrans, eandemq; in ſpem ueniæ, nonnullamq; peccati deteſtationem excitans: proximè motus fidei ſpei & charitatis: Qui enim non diligit, etiamſi omnia credat & ſperet, in morte maneat neceſſum eſt.

Eadem ſeſs.c.6. 1.Cor.13.

VI.

Proprium ſanctitatis ſubiectum eſt homo uel angelus, cætera omnia his inferiora impropriè, & externa tantùm denominatione ſancta dicuntur.

Mar.1 8. Matth.27. Pſal.137.

VII.

Cæterum cùm ſpiritalis creaturæ ſanctificatio ſit gratuitum æterni Patris donum, fit ut non una ſemper eademq; ratione ſanctificemur omnes, ſed pro diuina εὐδοκίᾳ alia ſæpe atq; alia.

Ioan.3.6. Rom.11.9.30.

VIII.

Etenim sunt quos Cœlestis pater ex non sanctis negatiuè, hoc est, nulla peccati labe infectis, nec ullo rursum gratiæ dono perfusis sanctos facit, quo modo in nascentis mundi exordio [a] *angelos & * [b] *primos parentes, et postea Christum Dominum nostrum, secundum naturam assumptam,* [c] *& sacratissimam matrem eius Virginem sanctificauit. Neq; enim illi ex iniustis & peccatoribus facti sunt sancti, sed ex non iustis & non sanctis negatiuè, eo ipso momento, quo esse cœperunt, sancti fuêre.*

a August. lib. 2 de gen. ad lit. c. 23. Hom. 41. sup. lo. Orig. hom. 1. in Ezec. Thom. 1. q. 63. art. 3. 2. d. 4. ar. 3. 22. q. 5. ar. 1. b. Ge. 1. Ephe. 4. Colos. 3. Celest. epist. ad Ep. Gal. Inno. I. epi. 23. & 26. Leo pri. se. 4. de nat. Cyrill. in 10. li. 1. c. 9. Dionys. c. 3. p. 3. Eccl. Hier. Ambr. li. 6. exa. c. 7. Chrys. hom. 8. 9. & 16. in Genes. Irenæ li. 3. contra hæres. c. 37. Cypri. ser. 3. de pass. Aug. li. 14. de ciui. c. 11. & 17. Fulg. de incar. 12. c Gen. 2. Con. Bas. ses. 36. Hier. Ps. 77. Aug. li. de na. & gr. 36. Ansel. de concep. virg. c. 18. Thom. 3. d. 44. ar. 3. Sco. 3. d. 3. q. 1. Marsi. q. 2. art. 3. Biel. & Dionys. Chartus. eadem dist.

IX.

Lucæ 2. *Quare cùm ex δοξολογίας angelorum appendice audimus, Tu solus sanctus Mariam sanctificans, id non ita accipiendum est, quasi Deipara uirgo ex peccatrice facta fuerit aliquando sancta, nunq̃ enim illa peccati alicuius næuo sorduit, sed quod ex non sancta negatiuè, sanctificationis donum consecuta sit, uel certè quòd ex sancta prius, subinde facta fuerit sanctior. Nam hæc quoq; sanctificandi ratio in scripturis & Patrum monumentis* Apo. 22. *non incelebris est. Qui (inquit Apostolus) iustus est iustificetur adhuc, & qui sanctus est, sanctificetur adhuc.*

X.

Rom. 2. 4. 5. Gal. 3. Tit. 3. *Sunt rursum quos idem ex non sanctis priuatiuè, hoc est ex iniustis & peccatoribus, in iustitiæ & sanctitatis suæ communionem recipit, quamuis si adulti fuerint, (nam de paruulis & perpetuo amentibus alia est ratio) absq; ipsorum cooperatione nequaq̃ id faciat.*

XI.

Sunt deniq; quos ea perfectione sanctificat, ut sanctificationis gratiam semel adeptam amplius nunq̃ amittant: Quo modo sanctificasse creditur, Esa. 49. Lucæ 1. *Ieremiam & Ioannem Baptistam, (qui nouo quoq; & inusitato rerum cursu, prius fuerunt renati, q̃ in lucem æditi) post hos Apostolos & Magdale-* Ioan. 14. Luc. 10. *nam. Et alium (inquit) Paracletum dabo uobis, qui maneat uobiscum in æternum. Item, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea: reliqui ita sanctificantur, ut tamen ex gratia sanctificante excidere queant, & nonnunq̃ etiam excidant.*

XII.

Quin ipsa etiam Catholica & Apostolica Ecclesia non solùm sancta est, Ephes. 5. *& iure optimo sancta appellatur, uerùm etiam rectè & catholicè sanctificare*

care dicitur: non quòd sanctificationem nostram ex condigno promereatur, uel olim promerita sit, ut Christus, aut quod in animam fidelem illapsa sanctificationem ibidem operetur, ut Deus, sed quòd salutis uerbum annunciando, sacramenta administrando, iuge altaris sacrificium offerendo, et alia id genus pietatis munia per suos ministros obeundo, fidelium sanctificationi strenuè cooperetur. Symb. Apost.

DE SANCTORVM CANO-
nizatione, Thesis I.

AD hoc salutis ministrium Diuorum canonizatio quoq; pertinet, Nec enim externam illam canonizationis cæremoniam alio spectare putandum est, quam ut uitam sanctam, & ab omni superstitione immunem degamus.

II.

Quandoquidem ut eos maximè, quorum sanctimoniam calculo suo Ecclesia nondum approbauit, priuatim uenerari & inuocare nefas non sit (modo tamen promiscuè non fiat) publicè tamen & paßim nequaquam permitti id deberet. Audiuimus (inquit Alexander Pontifex eius nominis tertius) quod quidam inter uos diabolica fraude decepti hominem quendam in potatione & ebrietate occisum, quasi sanctum more infidelium uenerantur, cùm uix pro talibus in ebrietate peremptis Ecclesia permittat orare, Dicit enim Apostolus, Ebriosi regnum Dei non poßidebunt. Illum ergo de cætero non præsumatis colere, cum etiamsi per eum miracula fierent, non liceret uobis ipsum pro sancto absq; authoritate Romanæ Ecclesiæ uenerari. De reliq. & uene. Sanct. Ephe. 5.

III.

Ex qua sanctione manifestum euadit, canonizandi authoritatem non existere penes quosuis Ecclesiæ proceres: multò uerò minus penes ciuiles Magistratus, aut sectariorum synagogas, utcunq; tandem illi longos suorum pseudomartyrum elenchos in lucem ædant, sed penes supremum Ecclesiæ Hierarcham, uel eos certè, quibus is suas uices hac in parte delegauerit. Ezec. 44. Deut. 17.

IIII.

Attamen negare non poßumus, quin ad legitimum canonizationis processum humana quoq; præsidia adhiberi debeant: non quòd Ecclesiæ iudicium eorum certitudini potißimum innitatur, sed ne contra suauẽ Dei Optimi Maximi dispositionem, quæ per homines et in hominum commodum proxime fieri consueuerunt, humana fide atq; industria destituantur. Sapi. 8.

V.

Matth.18. Luc.22. Thom.quodl.9. art.16.

His autem & reliquis, quæ ad actus solennitatem faciunt, ritè adhibitis, Pontifex Maximus uel Pontificis loco Ecclesiæ Synodus sententiam fert minimè dubiam: quemadmodum id cùm ex alijs quamplurimis, tum ex eo maximè colligi potest, quòd nullius sancti canonizatio legitimè celebrata hactenus à quoquam infringi aut infirmari potuerit.

VI.

August.li.2.cont. Gaud.Dona.ep. c.12.

Neq; pugnant cum his, quæ aduersarij ex D. Augustino allegant, nempe multorum corpora uenerari in terris, quorum animæ cruciantur in inferno. Nam præterquam quod isthæc D. Augustinum authorem non agnoscunt, sed alia quædam finitima, nullam etiam eo in loco de illorum ueneratione mentionem facit, qui publica Ecclesiæ authoritate Diuorum numero ascripti fuerant, sed quorundam sceleratorum, quos Donatistæ priuato iudicio Diuorum loco habebant.

VII.

At multo uerò minus canonizationis fidem infringit, quod ritus quibus maiorum uestigijs insistentes, hac ætate inter canonizandum familiarius utimur, in primitiua Ecclesia minus fuerint usitati. Quandoquidem primis illis Apostolorum temporibus, tam aperta sanctitatis testimonia extabant, ut præter communem populi consensionem, nulla alia opus esset approbatione. Omitto cæremonias omnes, quæ rei substantiam non attingunt, pro locorum ac temporum ratione Ecclesiæ authoritate mutari, uel penitus etiam aboleri posse.

VIII.

Matth. 22. Luc.20. & 11. Heb.9. 2.Pet.2. Iacobi 5. Apo.14.

Fuit nihilominus & illa ætate, & multo etiam antea, aliquis canonizationis usus, licet ab eo, quo Ecclesia nunc utitur, non parum diuersus. Nam & Euangelicæ & Apostolicæ quoq; Scripturæ ueterum Patrum sanctimoniam non uno in loco grauißimè commendant. Canonizare autem haud aliud quippiam est, quam sanctitatem alicuius publica authoritate interposita comprobare.

X.

Aug. de cur. pro mort.ag.c.17.tra. 84. in Io. ser.17. de verbis Apo. D.Iac.Basil.Chry.

Porrò autem Apostolos & primitiuæ Ecclesiæ Martyres, & quosdam etiam celebrioris famæ Confessores, Ecclesiæ Principes non alio tunc temporis ritu canonizabant, quàm quòd eorum nomina inter tremenda mysteria solenniter referrent, eorundemq; patrocinia (ut ex Patrib. & antiquissimis liturgijs cognoscere licet) publice inuocarent.

XI. At

XI.

At ubi Christi sanguis in multorum cordibus inciperet iam magis inte-pescere, minorq́; quotidie piorum hominum copia proueniret, non temere quiuis demortui, quamuis alias sanctitatis nomine uulgò haberentur clari, Diuorum numero ascripti sunt: sed ij duntaxat, quorum sanctimoniam non solùm mortalium uoces, sed diuinæ quoq; uirtutes commendabant. Matth. 24.

XII.

Adde quòd neq; canonizantium fragilitas nos hic turbare uel commouere debeat. Nam ut maximè canonizationis administri homines sint peccatis & erroribus obnoxij, tamen quòd in his definiendis & publicè proponendis, quæ fidem uel uniuersalis Ecclesiæ mores concernunt, Christi uices subeant, peculiari Spiritussancti magisterio fulti, labi non sinuntur. Lucæ 22.

XIII.

Et quamuis nonnulli doceant, Ecclesiæ sententiam minus hic certam esse, quàm in fidei dogmatis statuendis, nullus tamen orthodoxè institutus hactenus docuit, liberum esse cuiuis Ecclesiæ iudicium hac in re conuellere uel retractare: imò uerò nefariæ temeritatis foret istud quouis modo in animum inducere. D.Thom. quodl. 9.art.15.

XIIII.

Nam si graue ducitur insontem quempiam absq; legitima causa in improbitatis suspitionem adducere, non poterit profectò grauißimum non censeri, cuiusuis Diui sanctimoniam non modò proborum hominum testimonijs commendatam, diuinisq́; miraculis confirmatam, uerùmetiam publica totius Ecclesiæ censura approbatam, ueluti uanam commentitiamq́; improbare, uel minus quàm par est religiosè, de ea sentire, ac loqui.

DE SANCTORVM INTER-*cessione & inuocatione, Thesis I.*



Edit autem hæc Diuorum canonizatio, non solùm in diuini nominis gloriam, maioremq; Diui canonizati uenerationem, uerùm etiam in non uulgare Christiani populi commodum: quippe qui de Diuorum sanctitate certior factus, ad eorum patrociniū seriò implorandum excitatur, multáq;, quæ aliâs sperare uix licuisset, eorum intercessione nonnunquàm consequitur.

II. Quod

II.

Zach.1. Tob.12. Dani.10. Quod autem Diui a uinculis corporeis iam absoluti, fidelium saluti eiusmodi patrocinia uel ultro impendere soleant, id ex Diuinis literis, manifestissimum est.

III.

Mach.2.c.15. Vidit (inquiunt) Iudas Machabæus Oniam prætendentem manus, & pro omni Iudæorum populo orantem. Post hæc autem uidit alium uirum, ætate & gloria mirabilem, de quo dixit Onias, Hic est fratrum amator & populi Israel, hic est, qui multum orat pro populo & uniuersa ciuitate Hierusalem, Hieremias Propheta Dei.

IIII.

Homil.3. in Cāt. Hic antiquissimus Ecclesiæ scriptor Origenes, Omnes (inquit) sancti, qui de hac uita decesserunt, habentes adhuc charitatem erga eos, qui in hoc mundo sunt, si dicantur gerere curam salutis eorum, & iuuare eos precibus suis, atq; interuentu apud Deum, non est inconueniens. Scriptum namq; est in Machabæorum lib. Hic est Hieremias Propheta, qui semper orat pro populo, hæc Orig.

V.

Hier.15. Porro autem, quod hoc loco de Onia & Hieremia, & alibi de Moyse & Samuele traditur, idipsum quoq; de sanctis Angelis & cæteris ueteris Testamenti Patribus censendum est. Intercessione Angelorum (inquit Hilarius) non natura Dei eget, sed infirmitas nostra, missi enim sunt propter eos, qui hæreditabunt salutem, Deo nihil ex his, quæ agimus ignorante: sed in[illegible] nostra, [illegible]gandum et promerendum, spiritalis intercessionis ministerio indigente. Idem rursum exponens illud Math. Ne contemnatis unum de pusillis istis etc. Periculosè (inquit) contemnitur, cuius desideria ac postulationes ad æternum & inuisibilem Deum, ambitioso Angelorum famulatu ac ministerio peruehuntur. Rursum Basilius, Sanctæ (inquit) spiritales uirtutes, circa cœlestem uersantes locum, aliquæ oculi dicuntur, quòd curam susceperint nos interuisendi, curaq; nostri omnium illis concredita sit, nonnullæ aures, ut quæ nostras excipiunt preces. Item Hieron. in illud Danielis, Et nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michael Princeps uester. Ego (inquit) sum Angelus ille, qui offero Deo orationes tuas, & nullus est alius, qui adiutor meus sit, rogando pro uobis Deum nisi Michael Archangelus, cui creditus est populus Iudæorum. His non dissimilia eadem de re tradunt D. Aug. Ambr. Beda, & alij Patres.

In Psal.129.

c.18.

In Psal.33. explicans illud, Oculi Domini super iustos etc.

In c.10. Dani.

In c.5. Iob. & lib. de cur. pro. mor. c. 16. Ambr. c.4.2. Hexa. Beda li.4. in Cant. c. 24.

VI.

Neq; uerò putandum est, ubi Angeli sancti & Synagogæ proceres, tanto cum

cum feruore, pro communi populi salute cōtendunt, ibi gloriosissimos Christianæ fidei Principes, electos Dei athletas, iustos seculi huius iudices, uera (ut Bonifacius loquitur) mundi lumina, Christi redemptoris nostri Apostolos, qui in carne uiuentes sanguine suo Ecclesiam fundauerunt: sanctissimos quoq; clarissimosq; uiros, per quorum fidelissima, & diligentissima studia Ecclesiæ sacra Euangelia illuxerunt, & reliquos item noui Testamenti Patres, quasi conditionis nostræ oblitos, ab intercedendi officio cessare: præsertim cùm, ut hoc ipsum faciant præclarum Christi D.N. exemplum ob oculos propositum habeant. Quis est (inquit Apost.) qui condemnet? Christus Iesus, qui & mortuus est & resurrexit, qui etiam interpellat pro nobis? Rursum, Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Deum Iesum Christum D.N. & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Non est credendum (inquit B. Aug.) tunc sanctos uiscera misericordiæ amissuros, cum fuerint plenissimæ & perfectissimæ sanctitatis, ut qui tunc etiam orabant pro inimicis, cum ipsi sine peccato non erant etc.

De reliq. & uener. Sancto. c. Gloriosus.
Ad Rom. 8.
Io. 1. c. 2.
De ciui. lib. 21. c. 18.

VII.

Quod si sancti Angeli & cæteri Diui nullis prouocati precibus, pro fidelium salute tantopere apud cōmunem patrem contendunt, quid (quæso) piaculi fuerit si ultroneo eorū officio agnito, id quod agere cupiunt, porrò agere ut pergāt ab ijs petamus? Atq; adeo hoc aut alio simili orationis genere cum Origne, Chrysost. Greg. Nazianz. Gregorio Presbytero, Hieronymo & alijs eiusdem fidei atq; religionis Patribus eosdem interpellemus? O beate Iob, uiuens in perpetuum apud Deum, & uictor permanens in conspectu regis Domini, ora pro nobis miseris. Idem, Heu pater Abraham deprecare pro me, ne de finibus tuis alienar, quos ualde concupiui nec condignè quidem, propter ingens peccatum meum. Item D. Chrysostomus. Cœlestis (inquit) militiæ Princeps, rogamus te nunc indigni, ut tuis intercessionibus munias nos etc. Rursum Gregorius Nazianzenus. Tu autem (inquit) Basili, sacrum & diuinum caput ex alto nos respice, & carnis stimulum instructionem, à Deo nobis datam, aut tuis siste precibus, aut fortiter me ferre persuade. Item Gregorius Presbyter. Tu autem (inquit) beate Pater, scenæq; ueræ spectator & mysta tui sis memor Gregorij etc. Item Diuus Hieronymus in Epitaphio Paulæ. Vale (inquit) ò Paula, & cultoris tui ultimam senectam orationibus tuis iuua, fides & opera tua te Christo sociant, præsens faciliùs, quod postulas impetrabis. Rursum Diuus Gregorius Nazianzenus. Tu uerò (inquit) Cypriane nos ab alto propitius respice, nostrumq; sermonem

Orig. li. 2. in Iob.
Orig. in Lament.
In Liturgia.
In oratione in Basilium.
In uita Gre. Nazi.
In oratione 19. in D. Cyprianum.

nem ac uitam dirige, & sanctum ouile hoc pasce, aut unà rege, ac reliqua
In serm. 18. de san ctis, tom. 10. *quantum possibile est ad meliora dispone etc.* Rursum D. Aug. O *Maria, quis tibi dignè ualeat iura gratiarum ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persoluat, quæ sola tuo commercio recuperandi aditum inuenit? Accipe itaq; quascúnq; exiles, quascúnq; meritis tuis impares, gratiarum actiones: & cum susceperis uota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile quod per te ingerimus, fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus, quia tu es* SPES VNICA *peccatorum: per te speramus ueniam delictorum, & in te beatißima nostrorum est expectatio præmiorum. Sancta Maria succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo sexu. Sentiant omnes tuum iuuamen quicunq; celebrant tuam commemorationem. Aßiste parata uotis poscentium, & repende omnibus optatum effectum. Sint tibi studia aßidua orare pro populo* Dei, *quæ meruisti benedicta* Redemptorem *ferre mundi, qui uiuit & regnat in secula seculorum.* Hæc ille.

VIII.

Missas hoc loco facimus peculiares illas precandi formulas, quibus in anniuersarijs Diuorum *solennitatibus* Ecclesia *utitur: cuiusmodi inter cæ*
In festo assumptæ in cœlos Virginis. *terus pene innumeras, sunt hæ.* Famulorum *tuorum (quæsumus* Domine) *delictis ignosce: ut qui tibi placere de actibus nostris non ualemus, genitricis filij tui Domini nostri Iesu Christi intercesione liberemur.* Rursum.
In anniuersario omniũ sanctorũ. Omnipotens *æternæ* Deus, *qui nos omnium sanctorum tuorum merita sub una tribuisti celebritate uenerari, quæsumus, ut desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris etc.*

IX.

Hanc *diuorum inuocationem* Patriarcha Iacob *sub ultimam ferè uitæ periodum constitutus singulari studio posteritati suæ commendabat.* Deus
Genes. 48. *(inquit) qui me pascit ab adolescentia mea usq; in præsentem diem, Angelus qui me eruit de cunctis malis, benedicat pueris istis & inuocetur* בהם, *hoc est super uel inter eos nomen meum, & nomen patrum meorum* Abra-
Tom. 3. Locutionum de Genesi, lib. 1. c. 200. *ham & Isaac.* Hic *Augustinus.* Iacob *(inquit) benedicens nepotes suos*

filios

6

filios Ioseph: ait inter cætera, Et inuocabitur in his nomen meum, & nomen patrum meorum. Vnde notandum est, non solùm exauditionem, sed etiam inuocationem dici aliquando, quæ non Dei, sed hominum sint.

X.

Nec sanè inanis hæc extitit admonitio: nam quotiescunq; Iudæorum proceres insigne aliquod beneficium à Deo Opt. Max. uolebant impetrare, uel grauem aliquem cladem ceruicibus suis imminentem depellere, Patriarcharum merita allegabant. Hinc illæ & aliæ similes orationes. Quiescat, obsecro, Domine ira tua, et esto placabilis super nequitiam populi tui: Recordare Abraham Isaac & Iacob, quibus iurasti per temetipsum Deus. Exod. 32. *Rursum. Ne quæso Deus auferas misericordiam tuam à nobis propter* Dani. 3. *Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum suum, & Israel sanctum tuum. Iterum. Omnipotens Deus Israel, audi nunc orationem mortuorum Israel* Baruch 3. *& filiorum ipsorum, qui peccauerunt ante te.*

XI.

Ad hanc ipsam quoq; Diuorum inuocationem, ante omnem legem scripto propositam. B. Iob miserandum in modum tunc temporis à Satana diuexatum Eliphas Themanites prouocabat. Voca (inquit) si est qui tibi respondeat, et ad aliquem Sanctorum conuertere. Quamuis idem citra monitorem Iob 5. *hoc ipsum iam antea fecisse credatur: siquidem illud. Miseremini mei miseremini mei ô uos amici etc. D. August. haud alio, quàm ad Diuorum uel* Annota. in Iob, *Angelorum inuocationem pertinuisse existimat. Angelos (inquit) ut pro* c. 19. *se deprecentur, aut certè Sanctos, ut pro pœnitente orent, uidetur postulare.*

XII.

Mitto hic sterilitatis pestem regis Abimelech familiæ propter Saram uxorem Abrahæ illatam, alio quàm Patriarchæ interuentu sanari nequiuisse. Redde (inquit Deus) uiro uxorem suam, & orabit pro te, quia Pro- Genes. 20. *pheta est & uiues. Et sequitur. Orante autem Abraham sanauit Deus Abimelech & uxorem, ancillasq; eius & pepererunt. Concluserat enim Dominus omnem uuluam domus Abimelech, propter Saram uxorem Abrahæ.*

XIII.

Quod si hæc & reliqua, quæ iisdem ex fontibus deduci possunt Diuorum

 inuocationem

inuocationem disertè, ut faciunt, non constituerent, adhuc tamen propter perpetuam Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem, Patrum doctrina & exemplo egregiè munitam, citra manifestam temeritatis notam, non liceret anxiè
Epist.118.ad Ian. *hic hærere aut disputare.* Nam ut D. August. *alicubi rectè monet, insolentissimæ insaniæ genus est, de eo quod per orbem frequentat Ecclesia disputare.*

XIIII.

In Liturg. *Commemorationem (inquit* D. Iacobus*) agamus sanctissimæ, immaculatæ, gloriosissimæ, benedictæ Dominæ nostræ matris* Dei *& semper uirginis Mariæ, ac omnium sanctorum & iustorum, ut precibus & intercessioni-*
In Lamento. *bus eorum omnes misericordiam consequamur.* Origenes. *Incipiam me genubus prosternere et deprecari uniuersos sanctos, ut mihi non audenti pe-*
De stella et Mag. *tere Deum propter nimietatem peccati succurrant.* Cyprianus. *Innocentes pueri ab* Herode *occisi in ordine Sanctorum primum habent locum, & secretorum conscij diuinorum clementiam* Dei *pro nostris exorant labori-*
In Ho. 40. Mar. *bus.* Basilius. *Sæpe laborastis, sæpe operam dedistis ut unum pro uobis orantem inueniretis, quadraginta sunt hi unam orationis uocem emittentes. Et paulo post. Qui aliqua premitur angustia ad hos confugiat: qui rursus lætatur hos oret: ille ut à malis liberetur, hic ut duret in rebus lætis.* Sy-
Cap. 7. *nodus sexta. Vnusquisq; Christianus solo Deo creatore suo adorato, inuocet Sanctos, ut pro se intercedere apud Maiestatem diuinam dignentur. Hæc faciant quibus Basilicæ locus est, in Basilica, qui uerò in itinere, aut pro qualibet occasione in syluis aut agris est, ubicunq; eum ipsa hora matutina uel*
Actione 6. *uespertina inuenerit.* Synodus septima. *Cum Dei timore omnia agamus postulantes intercessiones incontaminatæ Deiparæ et semper Virginis Dominæ nostræ Mariæ. Item sanctorum Angelorum omniumq; Sanctorum.*
Act.11. *Synodi Chalcedonensis Patres. Sanctus Martyr Flauianus oret pro nobis.*
Cent. 5.c.21 *Hunc tamen locum Centuriones Magdeburgici, ut cætera, quæ causæ suæ minus fauent, fraudulenter suppresserunt.*

XV.

Act.7. *Similia de Sanctorum inuocatione tradunt cæteræ Synodi & Ecclesiæ*
Sess.5.4.0.25. *Patres, Trullana, Nicena secunda, Franckfordiana, Basiliensis, Florentina, Tridentina.* Dionysius *in Cœlest. Hie.* Ireneus *libro quinto contra Hæres.* Hilari. *in Psalm.124.* Epiph. *li.3.tom.1.hæres.75.* Ephrem *in sermo. de laudibus sanctorum Martyrum.* Greg. Nisse. *in uita Theodori.* Hiero. *contra Vigilantium.* Ruffinus *lib.2.histo.Eccle.cap.33.* Nectarius *in narratione de Theodoro Martyre & quadraginta Martyrum.* Gaudentius *in anniuersario Philastrij.* Victor Vticensis *de persec. Vand. lib.3.* Fulgentius *serm. de*

laudibus

laudibus Mariæ. Euseb. Emissenus in Hom. de S. Genesio. Epipodio & Alexandro. Sulpitius lib. 2. de uita D. Martini. Dorotheus Episc. Tyri de uita Esaiæ & Hierem. Euseb. Cæsariensis hist. Eccle. lib. 6. cap. 5. Iustin. lib. 1. C. tit. 30. Procopius de ædificat. Ephrasius hist. Eccle. cap. 13. et lib. 6. cap. 31. Greg. Mag. lib. 5. Epist. 19. & lib. 7. Epist. 126. Grego. Turo. de gloria plurimorum Martyrum. Ephodius ad Faustum. Fortunatus in Epitaphio Euphrasiæ. Caßiodorus Psalm. 21. Andreas Hieroso. de salut. Mariæ. Iustus in Cant. Cyrillus in Catechesi. Clemens consti. Apost. lib. 8. cap. 18. et 19. Cornelius Papa Epist. decretali. Euseb. lib. 4. cap. 15. Tertul. de corona militis. Theodo. lib. 8. de Martyribus. Leo serm. de sancto Petro & Paulo. Purdentius in Hym. de S. Laurentio, Eulalia, Vincentio, Caßiano etc. Paulinus Nolanus ad Seuerum. Berna. serm. 66. in Cant. Maximus Tauri. Episcopus in natali sanctorum Nazarij & Celsi. D. Thom. Bonauent. Albert. Marsilius, Scotus, Durandus & reliqui scholæ Patres 4. distinctione 45.

XVI.

Nec uerò existimandum est Sanctos ita generatim pro uniuersa Ecclesia intercedere, ut non etiam speciatim pro hoc uel illo Ecclesiæ membro interpellent. Pro hac (inquit Dauid iniquitate mea) orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno. Hierem. quoq; & Onias & Angelus Domini sanctus non deprecabantur pro orbis salute uniuersim: sed hic quidem pro Iuda Machabæo & populo sibi commisso: ille uero pro ciuitate sancta & cæteris Palestinæ oppidis. Domine (inquit) exercituum usq; quo non misereberis Hierusalem & urbium Iuda? Pari modo Archangelus Raphael non cuiuslibet, sed Saræ duntaxat & Tobiæ preces in Dei Opt. Max. conspectu recitat, & quod in se est explendas curat.

Psal. 31. 2. Macha. c. 15. Zacha. 1. Tob. 12.

XVII.

Quod si Diui generatim tantùm, & non etiam speciatim pro mortalium incolumitate intercedunt, cur Ecclesia peculiares instituit preces? cur Deus Opt. Max. singulis singulos & non omnibus unum duntaxat Angelum præficit? cur Patres pro hac uel illa re aut persona sigillatim, & non generatim semper pro omnibus simul orationem fundunt?

Matth. 18.

XVIII.

O sancti Dei (inquit Origenes) uos lachrymis & fletu pleno dolore deprecor, ut procidatis misericordijs eius pro me misero. Item Cyprianus. Memores (inquit) ô Corneli simus nos inuicem: & si quis hinc nostrum prior discesserit, apud misericordiarum Patrem non cesset oratio. Chrysostomus. O Pater Nicolae, fungere legatione apud Christum Dominum, ut

In Lame. Lib. 1. Epist. 1. ad Cornel. In Liturg.

Lib.9.conf.c.3. *animæ nostræ salutem consequantur. Augustinus. Nec sic arbitror Nebridium inebriari ex illo fonte uiuo, ut obliuiscatur mei, cum tu Domine,*
Ad Paulam super obitu Blesi. *quem potat ille, sis nostri memor. Hieronymus. Blesilla filia tua ô Paula*
Orat.18.in Atha. *pro te iam Dominum rogat. Nazianzenus. Tu autem Athanasi è supernis propitius nos respice: & populum hunc sanctum dirige. Ioan. Damascenus. Domina & mater sanctißima, quæ Deum meum peperisti, am-*
Io.Hieroso.Patri. in vita Damas. *putata est dextra mea ob sanctas & diuinas imagines. Tu qua de causa Leo*
Theo.in.c.11.epi. ad Hebr. Theod. lib.8.affe. græc. *sæuiat non ignoras: Proinde quanto citiùs succurre, dextera enim altißimi, quæ de te incarnata est, per tuas intercessiones multas fecit uirtutes: sanet oro hanc meam dexteram tuis precibus etc.*

XIX.

Porro specialis inuocationis fructum cumulatè demonstrat rerum euentus. Nam qui peculiaris cuiuspiam Diui opem pio pectore implorant, præsens Dei Opt. Max. auxilium familiarißimè experiri solent: exteri uerò, qui huiuscemodi precationes negligunt, uel malè etiam contemnunt infœlicem, ut plurimum, hoc est moribus factisq; suis dignum exitum sortiuntur.
In moral.c.2. sum.26. *Potest (inquit Basilius) reipsa & opere sæpißimè compertum nobis esse: inuocationem Sanctorum ad intercedendum pro nobis non solùm placuisse, uerùmetiam ijs, qui Sanctos (modo tamen piè & absq; superstitione) inuocassent, magno & admirando solatio, auxilio, & bono eeßisse.*

XX.

Neq; turbare aut ad Diuorum opem implorandam tepidiores reddere nos debet, magnum inter nos in sublunari hoc orbe constitutos & Sanctos
Lucæ 16. *supra cœlos omnes mobiles euectos spacium interiectum esse. Nam si Abraham epulonem illum Euangelicum, inter quos tamen magnum chaos firmatum erat, inferno tantum mentis strepitu inclamantem exaudire: si Eli-*
4.Reg.5. *seus puerum suum Giezi cum Naaman Syro negotiantem, ueluti coram astantem uidere, idemq; arcanißima regis Syriæ consilia, quæ secretò eum*
4.Reg.6. *seruis suis aduersus Israëlem commoliebatur deprehendere: si Apostolo-*
Acto.5. *rum princeps occultam Ananiæ & Saphiræ conspirationem internoscere:*
Act.17. *si deniq; Stephanus in Iudæorum concilio constitutus filium Dei patri dextera aßistentem potuit contueri, haud difficile fuerit diuinare, qui mortalium preces ad beatorum noticiam peruenire ualeant.*

XXI.

Quamuis etiam inter Sanctos cœlesti beatitudine iam donatos, & eos quorum mentionem modo fecimus, magnum intersit discrimen: Siquidem

sancti Deum ipsum, ex quo omnia, quæ ad fœlicitatem faciunt, cumulatissimè hauriunt, perpetuò præsentem habent. Animæ (inquit Augustinus) non clamorem uocis, sed cordis audiunt, & se fideliter inuocantibus subueniunt. De cognitione veræ vitæ c.39.
Nec magis clamosas preces audiunt, quàm eas, quæ sine uoce uel in lingua, uel in corde tantùm fiunt: quia neq; à nobis uerba, sed uoces cordis tantùm audiuntur: cæterum uerba mente uidentur. Cùm ergo animæ nostræ aliquid secundum Deum desiderant, & hoc sibi à Deo per Sanctos dari siue corde, siue lingua, siue uoce postulant, animæ Sanctorum, quibus idem est audire, quod uidere, & è conuerso, non uoces sed uerba intuentes, desiderata eis à Deo impetrant, ut habetis scriptum. Desiderium pauperum exaudiuit Dominus. Psal.9. Idem. Cum sanctos in oratione inuocatis, sic oportet de ijs cogitare constitutis in gloria æternæ claritatis, scilicet splendidissima lumina, longè præ solis fulgore lucentia, qui omnia bona pleniter in Dei uisione habeant, & coniunctis se inuocantibus potenter subueniant. Ibidem c.9. Rursum Gregorius. Sicut (inquit) hi, qui adhuc uiuentes sunt, mortuorum animæ, quo loco habeantur ignorant: ita mortui uitam in carne uiuentium post eos, qualiter disponatur nesciunt: quia & uita spiritus longè est à uita carnis, & sicut corporea atq; incorporea diuersa sunt in genere, ita etiam distincta cognitione. Lib.12.moral. c.13. Quod tamen de animabus sanctis sentiendum non est, quia quæ intus omnipotentis Dei claritatem uident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid, quod ignorent. Item Basilius. Virgo (inquit) se ipsam primum conscientiamq; suam reuerebitur: etiamsi ualde sit sola: deinde astantem sibi custodem Angelum. Lib. de Virginitate. Et paulo post. Quid (inquit) per singula pergam? ipsas Angelorum infinitas multitudines, & una patrum beatissimos spiritus reuerebitur: nullus enim ex his est, qui non singula ubiq; consideret. Hugo. Non est (inquit) incredibile animas Sanctorum, quæ in abscondito facie Dei, ueri luminis illustratione lætantur, in ipsius contemplatione ea, quæ foris aguntur intelligere, quantum uel illis ad gaudium, uel nobis ad auxilium pertinet. De Sacra. lib.2. par.16.c.vlti. Sicut enim Angelis, ita et Sanctis, qui Deo assistunt, petitiones nostræ innotescunt in uerbo Dei, quod contemplantur. Hugoni astipulantur cæteri scholæ Patres & Doctores.

XXII.

Quod si omnem earum rerum, quæ in subcœlesti hac regione geruntur noticiam beatis adimamus, non uideo equidem, qui Euangelicum illud. Gaudium est Angelis in Cœlo super uno peccatore pœnitentiam Lucæ 15.
agente

agente, commodè defendi poßit. Nam *si Angelos & reliquos cœlites (de omnibus enim idem nunc statuo) si inquam Angelos & reliquos beatos iustorum ruina non afficit, non afficiet eosdem etiam peccatorum pœnitentia: at hæc illos afficit, afficiet ergo & illa, cum utrobiq; par sit ratio.*

XXIII.

Cæterum dum Angelos uel beatos fratrum suorum miserijs affici dicimus, nihil aliud significare uolumus, quàm ipsos lugentium more sese habere. Sancti Angeli, inquit D. August. & sine ira puniunt, quos accipiunt æterna lege puniendos: & miseris sine miseriæ compaßione subueniunt: & ijs periclitantibus, quos diligunt, sine timore opitulantur: nihilominus tamen istorum nomina paßionum consuetudine locutionis humanæ in eis usurpantur, propter quandam operum similitudinem, non propter affectionum infirmitatem: Sicut Deus secundum Scripturas irascitur, nec ulla tamen paßione turbatur. Hæc ille.

Lib. 9. c. 5. de ciuit. Dei.

XXIIII.

Non adimunt autem hæc Sanctorum Patrocinia quicquam omnino supremi Mediatoris officio. Nam ut maximè utrosq; inuocemus, non uno tamen modo, nec simili mentis affectione id facimus. Siquidem Christum inuocamus ut patrem, ut seruatorem, ut unicum salutis nostræ autorem, quippe qui solus sacratißima sua morte ad Patrem iter nobis aperuerit. Cui proinde soli una cum Patre & Spiritusancto hostias & sacrificia offerimus, decimas & primitias exoluimus, & cætera omnia, quæ soli Deo impendi possunt, impendimus. Sanctos autem imploramus ut causæ nostræ patronos et promotores, ut amicos & domesticos Christi, ut deniq; mediatores ad unicum illum inter Deum & homines mediatorem. Opus est (inquit D. Berna.) mediatore ad mediatorem Christum, nec alter nobis utilior, quàm Maria. Idem rursum, Tenentes (inquit) charißimi hanc uiam studeamus ad ipsum per eam ascendere, qui per ipsam ad nos descendit: per eam uenire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam uenit. Et addit, Per te accessum habeamus ad filium, ô Benedicta inuentrix gratiæ, genetrix uitæ, mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis.

Serm. ulti. de assumpt. B. Mariæ virg.
In ser. de B. Virg.

XXV.

Quod si Sanctorum preces ἀρχιμεσίτου *muneri quicquam derogarent, multo sanè magis mutua uiuorum præsidia (ut qui minus Deo sint coniuncti, paucioribusq; uirtutum ornamentis cumulati) id efficerent. Et tamen tantum abest ut iustorum preces pro alterius cuiuscunq; salute fusæ, Christi Domini nostri officium obscurent, ut illud etiam uehementer illustrent.*

XXVI. Quamobrem

XXVI.

Quamobrem Apostoli Dei Opt. Max. uoluntatem, si qui alij inter uiatores, plenissimè edocti, non solùm indefesse pro aliorum salute interpellabant, & aliorum preces uicissim implorabant. (Obsecro (inquit D. Paulus) uos fratres per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem Spiritussancti, ut adiuuetis me in orationibus uestris) uerùmetiam pro omni hominum statu atq; ordine communes orationes, & obsecrationes fieri uolebant. Obsecro (inquit idem Apostolus) primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, Principibus etc. Ad Rom. 15. 1. Tim. 2.

XXVII.

Salua itaq; & incolumi Mediatoris functione, Diui multo quàm antea unquam feruentius, modò pro nobis intercedunt. Si (inquit Chrysost.) Paulus cum hic esset usq; adeo dilexit homines, ut cum dissolui cuperet & esse cum Christo, ex animi proposito eligeret hic esse, imo uerò anathema fieri pro fratribus suis secundum carnem, multò sanè magis feruentiorem illic amorem ostendit. Rursum Hieron. Si (inquit) Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se debent esse soliciti, quanto magis post coronas, triumphos etc. Idem alibi. Vnus homo Moyses (inquit) sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo ueniam, & Stephanus imitator Domini, & primus Martyr in Christo, pro suis persecutoribus ueniam deprecatur, & postquam cum Christo esse ceperint minus ualebunt? S. Ambros. Petrus & Andreas (inquit) tunc cum uiuerent potuerunt rogare pro uiduis: nunc omnia possunt pro nobis, & pro omnibus impetrare. S. August. Exauditus est (inquit) S. Stephanus, ut eius orationibus deleretur peccatum, quod commiserat Saulus: commendemus igitur nos orationibus eius: multo enim magis nunc exauditur pro oratoribus suis à regnante D. N. Iesu Christo. Et alibi. Orationibus S. Martyrum (inquit) propitiatur Deus peccatis populi sui. Similia tradit idem August. serm. 244. de tempore & de spiritu & anima, cap. 59. & lib. meditationum cap. 24 de cura pro mortuis cap. 4. & 5. de ciuitate lib. 22. cap. 8. & 10. con. Faustum lib. 20. cap. 21. de spiritu & litera, lib. 1. cap. 59. de cognit. lib 1. cap. 39. in lib. de hæresib. ad hæresin trahit qui hoc negant.

Homilia vlt. in c. 6. ad Rom. Contra Vigilant. Contra eundem. In lib. de Viduis. Serm. 1. de Sanctis. Super Exod. cap. 108.

XXVIII.

At uerò quando Ecclesia per Sanctorum preces uiam nobis ad Christum ostendit, non est id ita accipiendum, quasi non recta citra cuiuspiam sancti intercessionem ad ipsum, aut per ipsum ad Patrem accedere liceat, sed solùm

instinuat: quid rectè ac Catholicè fieri queat, quidúe difficilioribus temporibus magnopere expediat.

XXIX.

Matth. 8. Lucæ 17.

Poterat quidem Centurio ille Euangelicus nulla Iudæorum legatione interposita recta ad Christum ire, moribundiq; serui exuscitationem efflagitare: sed quia indignum se censebat, qui proximè Christum conueniret, mirificè sua illa animi submißione ac fide Seruatori nostro placuit, & expetitum nihilominus sanitatis beneficium, citra moram obtinuit.

XXX.

Serm. 2. & 22. de Martyr. Homi. 42. in c. 26. 1. Cor. Homi. in Mat. 8. Homi. 1. in c. 1. Thess. 1.

Cæterum ut Sanctorum inuocatio robur habeat, uirtutum studium adsit necessum est. Nam qui inuitijs & cupiditatibus suis obstinatè adhuc hærent, frustra Diuorũ opem implorant. Si (inquit D. Aug.) ad consortium Martyrum uel Sacerdotum uolumus peruenire, de imitatione Martyrum cogitemus. Debem enim aliquid in nobis recognoscere de suis uirtutibus, ut dignentur pro nobis Domino supplicare. Item Chrysost. Si (inquit) segnes ac desides fuerimus, nec iustus, nec Prophcta, nec Apostolus nobis patrocinabitur. Et rursum. Non quasi otiantes & desides de aliorum meritis pendeamus: Habent enim & quidem maximam uim orationes Sanctorum, sed tunc profectò cum nos idipsum quoq; per pœnitentiam postulamus, & ad meliora studia confugimus. Et addit. His itaq; cognitis nec sanctorum preces contemnamus, nec totum in illos proijciamus: hoc quidem ne temerè insidijs opprimamur, illud uerò ne extra multum lucrum & profectum excidamus.

DE DIVORVM CVLTV ET *Veneratione. Thesis I.*

Ad Heb. 11. Matth. 25. 1. Cor. 2. Cyril. con. lib. 8. Epiphan. in vita Hier. Esa. & Eze. Isidorus Hispa & Doroth. in vitis Prophe. Procopius de reb. a Iustiniano gestis. Aug. 8. c. 27. & 22. c. 8. de ciui. Hiero. in vita Hila. Chrys. in Basi. Ambr. in histo. Protho. Geruas. etc. Athanas. in Syn. Nic. 2. Act. 3. Dorotheus in vita Enuchi. Nazi. ora. 1. in Iul. & in Cypr. Greg. Nyss. in vita Theod. marty. Basi. in vita Iulittæ. Rufinus lib. 1. Eccl. hist. c. 10. & 35.



E T *quemadmodum citra ullam Mediatoris contumeliam Diuorum opem imploramus, ita propter eximias uirtutes, quibus dum in humanis adhuc agebant, nobis præluxerunt: & ingentem gloriam, qua nunc perfruuntur in cœlis, citra ullam aut Christi aut Christianæ religionis iniuriam eosdem quoq; ueneramur, colimus, & suo etiam modo adoramus.*

II. *Colimus*

II.

Colimus autem & adoramus eos non ut Deos aut seruatores: sed ut illustres quosdã Ducis nostri Christi athletas, de nobis atq; adeo de tota Repub. Christiana quàm optimè meritos. Quo modo non eos tantùm adorare consueuimus, qui iam obtentis coronis triumphant in patria: uerùm eos etiam, qui pro eisdem strenuè adhuc depugnant in uitæ huius militia: & cæteros præterea, qui singulari aliqua præstant excellentia.

Ambr. li. de Spiri. Epiph. cõt. Anti. Hier. cont. Vigil. Euf. lib. 4. c. 15. Cyr. li. 6. cõt. Iuli. Orig. lib. 2. in epi. ad Rom. Augu de cur. pro mo. c. 13. Ap c. 12.

III.

Sic Abraham submißè adorat populũ terræ Arbeæ: Iacob septenis uicib. uenerabundè prostratus fratrẽ suum Esau: Propheta Nathan David Regem: David Rex Saulis filiũ Ionathan; & alij item alios: Siquidem externa illa ueneratio, quæ quodam corporis gestu perficitur, adorationis nomine passim in Scripturis exprimitur.

Genes. 23. 33. 29. 49. 2. Reg. 9. 1. Par. 3. 1. Reg. 24. Iud. 5. 1. Para. 19. 29.

IIII.

Veruntamen ne adorationis uocabulum creatori simul & creaturæ tributum, aliquod sua homonymia fidei periculum pareret, maioribus nostris sanctißimis doctißimisq; uiris duplicem adorationis speciem aßignare placuit: alteram latriæ, alteram duliæ. Harum priorem rerum omnium opifici admetiuntur in solidum: posteriorem cæteris omnib. in quos honos cadit, cõmunem faciunt.

Aug. lib. 15. cont. Faust. Man. c. 10. lib. 10. de ciui. c. 1. Damasc. li. 3. Apo.

V.

Et quamuis discrimen quod inter duliam & latriam aßignatur arbitrarium, aut recens à quopiam scholastico confictum poßit uideri, nõ est tamen huiusmodi: sed ante mille trecentos annos magno cum iudicio à Patrib. receptum. Quæritur (inquit D. Aug.) quomodo scriptum sit Dñm Deum tuum adorabis et illi soli seruies: cũ Abraham sic honorauerit populum quendam gentium, ut etiam adoraret. Sed animaduertendũ est, in eodem præcepto non dictum Dñm Deum tuũ solum adorabis: sic ut dictum est, & illi soli seruies: quod est græcè λατρεύσεις. Talis enim seruitus non nisi Deo debetur. Vnde damnantur idololatræ, id est eiusmodi seruitutẽ exhibentes idolis, quæ debetur Deo. Nec moueat quòd alio loco, in quadã scriptura prohibet Angelus hominẽ adorare se, & admonet ut Dñs potius adoretur, talis enim apparuit Angelus, ut pro Deo poßit adorari: & ideo fuerat corrigendus adorator. Idẽ alibi. Colimus (inquit) Martyres eo cultu dilectionis et societatis, quo et in hac uita coluntur sancti homines Dei, quorũ cor ad talem, pro Euangelica ueritate, paßionem paratũ esse sentimus. Sed illos tanto deuotius, quanto securius post incerta omnia superata: quanto etiam fidentiore laude prædicamus iam in uita fœliciori uictores, quàm in ista adhuc usq; pugnantes. At illo cultu qui græcè λατρεία dicitur, latinè uno uerbo dici non potest,

Lib. 1. q. in Genes. quæst. 61. Genes. 23.

Apo. 19.

Contra Faust. Mani. li. 20. c. 21.

cùm sit quædam propriè diuinitati debita seruitus: nec colimus nec colendum
Act.3.Con.Nice. *docemus, nisi unum Deum. Rursum Constantinus. Suscipio (inquit) & amplector, uenerandas imagines, adorationem autem, quæ sit secundum λατρείαν, hoc est, Dei culturam, tantummodo super substantiali & uiuificæ*
Basil.ad Am. hilo.c.18. *Trinitati conseruo. Item Patres secundæ synodi Nicenæ ἡ μὲν (inquiunt)* ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ λατρεία, τῇ μακαρίᾳ τριάδι παρὰ τῶν ὀρθοδόξων ἀπονενέμηται, ταῖς δὲ ἁγίαις εἰκόσιν, οὐ λατρεία πάντως, ἀλλὰ προσκύνησις, καὶ ἀσπασμός, καὶ τιμή, εἰ γὰρ καὶ ἡ τιμὴ τῆς εἰκόνος, ἐπὶ τὸ πρωτότυπον διαβαίνει: ἀλλ' ἡ λατρεία, τῆς μακαρίας ἐστὶ μόνης τριάδος, καὶ οὐ τῶν σεπτῶν εἰκόνων, ἵνα μὴ κτισμολάτραι, καὶ ὑλολάτραι δόξωμεν, *id est, Cultus ille Latriæ in spiritu & ueritate, beatæ Trinitati tribuitur ab orthodoxis, sanctis autem imaginibus Latria nequaquam, sed adoratio, exosculatio, & honor. Nam tametsi honor imaginis ad prototypon transeat, tamen Latria solius est beatæ Trinitatis, non etiam uenerandarum imaginum, ne creaturarum aut lignorum aut lapidum culto-*
Li.3.Apolo. *res esse uideamur. Item Damascenus. Solum (inquit) rerum omnium procreatorem & opificem adoremus & Latriæ cultu ueneremur etc. Rur-*
In c.4.Luc. *sum Beda. Quærit forte aliquis (inquit) quo modo conueniat, quod præcipitur Domino soli seruiendum Apostoli uerbo, qui dicit. Sed per charitatem seruite inuicem. Sed huic facilè græcæ linguæ, ex qua scriptura translata, origo satisfacit: in qua seruitus duobus modis ac diuersa significatione solet appellari. Dicitur enim* λατρεία *dicitur &* δουλεία. *Sed* δουλεία *intelligitur seruitus communis, hoc est, siue Deo, siue cuilibet rei exhibita. A qua etiam seruus id est* δοῦλος *græcè nomen accepit. Latria autem uocatur seruitus illa, quæ soli diuinitatis cultui debita, nec ulli est participanda creaturæ. Vnde & idololatræ nuncupantur hi, qui uota, preces, & sacrificia, quæ uni Deo debuerant, idolis impendunt. Iubemur ergo per charitatem seruire inuicem, quod est græcè* δουλεύειν. *Iubemur uni Deo seruire, quod est græcè* λατρεύειν. *Vnde dicitur, & illi soli seruies, quod est græcè* λατρεύσεις. *Et iterum. Nos enim sumus circumcisio spiritui Dei seruientes, quod est in græco* λατρεύοντες. *Hactenus Beda.*

VI.

Quin ipsæ quoque uoces non dubiam distinctionis rationem præ se ferunt. Nam si græcis peritissimis fides est, aliud nihil est λατρεύειν *quàm* μετὰ πολλοῦ φόβου καὶ τρόμου δουλεύειν, *hoc est magno quodam cum timore et reuerentia seruire. Deducunt enim illi uocabuli* ἔτυμον *& rectè,* παρά τε τὸ λα ἐπιτατικὸν, καὶ τρέω*: Ex quo Ionica Epenthesi fluit* τρεύω, *latinè inter-*

interpretatum idem sonans, quod tremo. Atqui, cum timore ac tremore non creaturæ, sed creatori seruiendum esse, ex Regio Propheta discimus. Seruite (inquit) Domino cum timore, & exultate ei cum tremore. Psal. 2

VII.

Quòd si maximè ea distinctionis uis in nominibus non lateret, potuit tamen Ecclesia pro sua autoritate alterum soli Deo, alterum creaturæ accommodare. Nam (ut D. Hilarius alicubi rectè docet) uoces rebus seruire debent, nō contra res uocibus, præsertim si usus, uel fidei ratio eiusmodi quippiam postulet. Sunt enim uoces ueluti symbola quædam & mentis indices propter res repertæ, non res propter uoces. 4. de Trini. sub medium. Phil. 1. peri.

VIII.

Latria itaq; solius Dei est propria: dulia uerò hominibus cum Deo & Angelis cōmunis existit, cæteris per accidēs tantùm defertur. Nec refert sint ne, quibus hic duliæ cultus impenditur, uerè iam beati, an uera & consummatæ beatitudinis etiamnum exortes: dummodo tamen beari possint: si quidem certò damnatis, quantumlibet Trinitatis imagine sint insigniti, honos impendi nec debet, nec citra peccatum potest. Aug. li. 10. de ciui. c. 1. Damas. lib. 3. Apol. Con. Nic. Act. 3.

IX.

Vtramlibet harum adorationum tripartitò diuidere licet: nempe in externam tantùm, in internam solùm, & in mixtam, siue ex utraq; conflatam. Cultu externo tantùm, satellites Pilati adorabant Christum in prætorio: interno tantùm, Deum obseruant Angeli & cæteri beati in cœlo: externo & interno simul, synceri Christiani uenerantur eundem in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento.

X.

Latria interior tribus perficitur actibus: uno rationis Deum hoc uel illo ritu: hoc uel illo tempore uel loco colendum esse dictantis: altero uoluntatis promptè ac liberè huiuscemodi rationis iudicio assentientis: postremo rursum rationis uel uoluntatis uel utriusq; simul, fide uel charitate, uel simul utraq; in eundem, ueluti in summum rationalis creaturæ bonum recta tendentium.

XI.

Horum porrò actuum, primus pertinet ad prudentiam: illius namq; est quid quouis loco uel tempore facto sit opus præstituere: proximus ad religionem, cuius quidem finis est Deus, obiectum uero sacer cultus, uel certè externum aliquod eiusdem cultus symbolum. Postremus ad fidem uel charitatem uel utramq; simul.

Per hos autem actus si quidem crebrius repetantur, gignuntur habitus, qui ad easdem uirtutes, easdemq; pertinent animæ facultates, ad quas actus ipsi, ex quibus procreantur, & ad quos iam geniti suapte natura inclinant.

XIII.

Demũ ex hac actuum, internam adorationem constituentiũ, explicatione palam fit, latriã per se quidem nec uirtutẽ esse simpliciter moralem aut intellectualem (ut sic nobis loqui liceat,) nec rursus actum aliquem uel habitum theologicum, sed quiddam ex his omnibus, ueluti totum quoddam ex suis partibus conflatum, pro partium diuersitate, ad diuersas uirtutes pertinens.

XIIII.

Quæ hactenus de latria & cæteris adorationis speciebus in medium allata sunt, manifeste ostendunt adorationem numeris omnibus absolutam tribus, ut minimum, actibus constare: uno, quo adorans per fidem uel mentis aciem alterius excellentiam animo concipit: altero, quo excellentia qualicunq; uel dignitate prædito, ultro ueluti superiori sese submittit: postremo, quo uirium exteriorum adminiculo, internum rationis & uoluntatis opus sensili aliquo signo prodit.

XV.

Inter hos autem actus hoc, inter cætera, discrimen intercedit: quod duo priores ad ueram adorationis rationẽ ἁπλῶς & absolutè sint necessarij. Certum namq; est solius rationis opus per se ueram adorationem absoluere non posse. Nam & Dæmones quoq; Dei Opt. Max. maiestatem agnoscunt, agnitamq; tremunt: attamen quod praua & in malo obstinata eorum uoluntas, tantæ se maiestati submittere recuset, ueræ adorationis studio in eam ferri non queunt. Et idem de omnibus damnatis statuas oportet.

XVI.

Rursum licèt adoratio uoluntatis opibus potißimum nitatur, tamen nisi rationis opus antecedat, quo uoluntas se conuertat, occurret planè nihil: Nam prorsus ignoto nemo unq̃ sese submiserit. At uero exteriores cùm latriæ, tum etiam duliæ & hyperduliæ actus, de intrinseca adorationis ratione non existunt: sunt enim hi aliud nihil, quàm quædam tantùm interni cultus notæ, eæq; plus satis ambiguæ. Quandoquidem non solùm Christo caput retegimus, ceruicem inflectimus, genua incuruamus, & alia id genus ueneratoinis signa exhibemus, uerùm eadem etiam Virgini matri, cæterisq; Diuis & heroicis uiris, pro loci ac temporis ratione exhibere consueuimus.

XVII. *Sunt*

XVII.

Sunt nihilominus pauca quædam externæ adorationis symbola, quæ soli creatori ita sunt propria, ut ea citra manifestam impietatem creaturæ exhibere non liceat. Etenim soli Deo *sacrificiū offerimus: soli aras & templa exædificamus: soli decimas & primitias in supremi principatus recognitionem persoluimus.* Nos *(inquit* D. *August.) Martyribus nostris non templa sicut* Dijs, *sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud* Deum *uiuit spiritus fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed uni* Deo *& nostrum & martyrum sacrificium offerimus.* Lib.2.c.10.de ciui.Dei.

XVIII.

Hinc *tamen palàm fit, quemadmodum fas est ad* Diuorum *memorias conuenius facere: preces fundere:* Deo *de eorum uictorijs gratias agere: Missarum solennia celebrare, & alia id genus pietatis officia exercere: ita etiam nefas non esse,* Basilicas, *templa uel altaria in unius* Dei *honorem exædificata à* Diuorum *quopiam denominare, suoq; modo eisdem quasi tutelarib. quibusdam præsidibus nuncupare. Si quis (inquit Synodus Gangrensis) per superbiam tanq̃ perfectum se existimans, conuentus, qui per loca et Basilicas* S. *Martyrum fiunt: uel accusauerit, uel etiam oblationes, quæ inibi celebrantur, spernendas esse crediderit, memoriasq; Sanctorum contemnendas duxerit, anathema sit.* c.20.

XIX.

Huc Diuorum *festa & natalitia, grauissimo maiorum nostrorum iudicio iam olim instituta, magnaq; cum religione & pic..te ab ijsdem celebrata & obseruata manifestè quoq; faciunt.* Attendite *charissimi (inquit* D. Aug.) *tenete omnes unanimiter* Deum *patrem & matrem* Ecclesiam. Natalitia *Sanctorum cùm sobrietate celebrate, ut imitemur eos, qui præcesserunt, & gaudeant de uobis, qui orant pro uobis, ut benedictio* Domini *maneat super uos in æternum, fiat fiat.* Idem *rursus. Passionis (inquit) sanctorum Martyrum diem hodie festum habentes, in eorum recordatione gaudeamus, recolentes quod patiebantur, & intelligentes quid intuebantur. Nunquam enim tantas tribulationes carne tollerarent, nisi magnā quietē mente conciperent.* Hunc *itaq;* Psalmū *pro ipsa solennitate curramus: Hesterna.n. die multa audiuit charitas uestra, nec hodie tñ huic festiuitati negare potuimus nostram seruitutem.* In Psal.88.cõ.2. In Psal.63.

XX.

Deberent *autem eiusmodi solennitates & sanctorum feriæ eò esse celebriores quò* Diui, *in quorum honorem indictæ sunt, uberiorum extiterunt meritorum.* Etsi *(inquit* Bonifacius *eius nominis octauus)* Deus *in Sanctis suis* De reliq.& vene. San.c.Gloriosus

suis gloriosus, & in maiestate mirabilis cunctos ministros suos magnificet, & caelestis beatitudinis efficiat possessores, illos tamen (ut digna dignis re-pendat) potioribus attollit insignijs dignitatum, & praemiorum uberiori prosequitur retributione, quos digniores cognoscit & ingenuior commendat excellentia meritorum. Et addit. Sic & alma mater Ecclesia, eius sacra uestigia prosequens, licet uniuersos in regnis caelestibus constitutos summis honoris efferre praeconijs non desistat, gloriosissimos tamen Christianae fidei Principes, Christi uidelicet Apostolos: reuerendissimos etiam Patres, clarissimosq; uiros, quatuor Euangelistas Domini: egregios quoq; ipsius Doctores Ecclesiae, beatos Gregorium, Ambrosium, Augustinum, uenerandos Antistites, ac Hierony. sacerdotij praeditum titulo, summis attollere uocibus & specialibus disponit uenerari honoribus etc.

XXI.

Hoc tamen Pontificis oraculum non obstat, quo minus Ecclesiarum praesides: Ordinum uel Dioecesium Patronos, uel aliâs bene de hoc uel illo loco meritos (cuiusmodi inter caeteros habentur, quorum opera ciuitates aliquae uel nationes ad Christi fidem primò fuerunt conuersae, aut ab errore uel haeresi aliqua uindicatae) singulari quadam honoris praerogatiua, & animorum festiuitate excipere liceat, dummodo tamen nihil hic, quod cum uera pietate uel sobrietate pugnet, admisceatur. Nos (inquit D. August.) dilectissimi fratres, ut tam sanctam festiuitatem nō solum corporali, sed etiam spirituali cum gaudio celebrare possimus, secundum uires nostras ad dandas eleemosinas: & ad tenendam cum omnibus pacem animas nostras praeparemus, & ab omni scurrilitate & turpiloquio nō solùm nosmetipsos, sed & omnem familiam nostram, & uniuersos ad nos pertinentes, pro amore Dei & de zelo sanctae disciplinae prohibere totis uiribus laboremus: nec permittamus solennitatem sanctam cantica luxuriosa proferendo polluere. Tunc enim pro nobis S. Iohannes (Baptista) quicquid petierimus poterit obtinere, si nos festiuitatem suam pacificos, sobrios, castos, absq; ullo turpiloquio cognouerit celebrare. Haec ille.

De Sanct. ser. 21. qui est secundus de S. Io. Baptista.

DE CULTU ET VENERATIONE sanctarum reliquiarum. Thesis I.



On solùm autem Diuorum spiritus perenni beatitudinis fonte uberrimè iam dudum inebriatos ueneramur Catholici, uerùm etiam

etiam sacra eorum ossa & cineres, fidelißima deuotione complectimur. Syn. Chalc. act. 3. Basi. in resp. Syno. quod incipit Sacrosancta, & mox, Cogitanti. Trid. sess. 25. Euagrius lib. 1. c. 14. lib. 2. c. 3. Paulus Diaco. rerum Rom. lib. 12. Metaphra. lib. 15. c. 3. Niceph. lib. 18. c. 31 & 32. Procopius de aedif. Iust. Balsamon in Nomoca. tit. 7. c. 1. Greg Naz. in ora. cont. Iul. Euod. li. 1. de mira. Stepha. Victor. lib. 1. Vvand. Pers. & 4. Gildas in excidio Brit. Bernar. in vita. Malach. Lucianus de inuent. Stepha. Proto. Zonaras in Marti. Aug. ser. 95. & 96. Louan. impressus.

II.

At uerò ut maximè utraq; augustè sanctèq; obseruemus, non ex æquo ta-
men, nec pari animi proposito id facimus. Nam spiritus, quod per se gratiæ
diuinæq; naturæ capaces existant, per se & propter se, quouis alio, quod in 2. Petri 1.
ipsis non sit seeluso, in honore habemus: pulueres autem & partes ipso-
rum materiales, non per se, nec propter se propriè, sed propter spiritus, ad
quos certum sortiti sunt ordinem, præcipuè ueneramur.

III.

Veruntamen quòd hic ordo non sit arbitrarius, sed naturalis (nec enim Matth. 10. 14.
spiritus per se absoluit hominem, autem per se operatur aut promeretur, Rom. 2. 2. Cor. 5.
sed unà cum corpore: non modò apud Iudæos & Christianos Iustorum cine-
res in pretio & ueneratione fuerunt, uerùmetiam apud illustriores Legis
naturæ Patres.

IIII.

Vnde, ut non uno in loco uidere est, Patriarchæ, cæteriq; grauiores illius
ætatis uiri, non solum magnificè ac splendide suorum funera curabant, reli-
giosißiméq; demortuis suis parentabant, uerùmetiam multa grauiter &
cordatè de propriæ sepulturæ ratione constituebant. Ego (inquit Iacob) Gen. 23. 25. 50. Gen. 49. 50.
congregor ad populum meum sepelite me cum Patribus meis, in spelunca
duplici, quæ est in agro Ephron Ethæi. Pari modo Patriarcha Ioseph, *siue*
paterno exemplo permotus, siue futurorum præscius, simplici admonitione
non contentus, etiam iureiurando fratres suos obstringit, ne Aegypto exce-
dentes sua ossa ibidem deserant. Deus (inquit inter *cætera*) *uisitabit uos,* Gen. 50.
asportate ossa mea de loco isto uobiscum. Mitto hic non uulgarium uirorum
iudicio, Moysi *corposculum, non alia de causa à* Domino *fuisse abditum,* Deute. 34.
quàm, ne forte Hebræi *ad* κτισμολατρείαν *plus satis proni, ultra decorum*
illud colerent.

V.

Porro autem in noua lege, ubi charitas perfectior, & resurrectionis, cæ- Ioan. 1. 14.
teráq; omnia fidei mysteria multo sunt illustriora, non parum amplius Di-
uorum oßibus delatum est. Cum (inquit Basilius Magnus) *apud* Iudæos In Psal. 115.
moriebantur, abominabilia erãt mortuorum cadauera: cùm uerò pro Chri-
sto contingit mors, preciosæ sunt Sanctorum reliquiæ, & qui contingit ossa
Martyris, ex gratia corpori insidente, quandam sanctificationis societatem
assumit.

VI.

Cuius gratiæ, sanctimoniæ, & societatis primæui Christiani non ignari, apud sanctorum Martyrum memorias adeo aßidui erant, ut pagani externa honoris specie decepti, existimarent diuinum à nostris honorem Martyribus impendi. Quare Diocletiano gladio immanißimè in Christianos sæuiente, scelerum administri Sanctorum sanguine non contenti, etiam sacra eorum ossa, ne à Christianis adorarentur, flammis absumebant, absumptaq; unà cum terræ puluere in profluenta dispergebant. In tantum (inquit Eusebius) apud eos rabies crudelitatis exarsit, ut regios pueros (puta Petrum, Dorotheum & Gorgonium) Martyres effectos, cùm secundum humanitatis ordinem fuissent sepulturæ demandati, effoderent denuo, & corpora eorum proijcerent in mare, hoc dicentes. Ne forte Dij efficiantur Christianorum, et illi, qui Deos adorare nolunt, adorare incipiant seruos nostros. Et addit. Putant enim, quòd Diuinus apud nos honor deferatur Martyribus.

Euseb. lib. 8. c. 6.

Ibidem.

VII.

Simili immanitate in Martyrum Lugdunensium corpora sæuitum est: Inaudito (inquit idem Eusebius) sæuitiæ genere, eorum, qui necabantur in carcere corpora, canib. iubebantur exponi: adhibita simul custodia die noctuq;, ne quis collectas reliquias, humanitatis intuitu traderet sepulturæ. Sed si quid forte uel bestijs, uel igni reliquum ex corporibus Martyrum fuerat, ipsaq; cum truncis suis capita punitorum, insepulta per custodiam militum seruabantur: & quærebatur si quid posset ultra humana crudelitas, in eos, qui iam uitæ huius limē excesserant. Et subdit. Igitur apud illos erat uarium insultationis genus, apud nos uerò ingens luctus seruabatur, præcipuè quod nō possemus corpora humi tradere: quippe quibusne noctis quidē tempore, alia ad hoc oportunitas prębebatur, nec munerib. suadere custodes, nec precibus, aut ullo alio genere copia erat, ita attentè et solicitè curabant, ne daretur extremis oßibus sepultura. Post aliquot aūt dies cum nullam sepeliendi gratiam præstitissent, incensa ossa Martyrū in fauillam redacta, cū reliquo terræ puluere in Rhodanum fluuiū disparsere, ne usq̄ reliquiæ illorū residerent. Hæc ille.

Lib. 5. c. 1.

Paria vel etiā immaniora designarunt Calumniani in Gallia.

VIII.

Causam porro tantæ rabiei in Sanctorū corpora diuinitùs permissæ, libro de cura pro mortuis agenda aßignat D. August. Legimus (inquit) in Eccle: hist. quam græcè scripsit Eusebius, & in latinam linguam uertit Ruphinus, Martyrum corpora in Gallia canibus exposita, canumq; reliquias, atq; ossa mortuorum, usq; ad extremam consumptionē ignibus concremata, eosdemq; cineres fluuio Rhodono inspersos, ne quid ad memoriam qualemcunq; relinqueretur.

Cap. 3.

quereretur. Quod non ob aliud credendum est Diuinitus fuisse permissum, nisi ut discerent Christiani in confitendo Christum, dum contemnunt hanc uitam, multo magis contemnere sepulturam. Hoc enim quod ingenti seuitia de corporibus Martyrum factum est, si eis quicquam noceret, quo minus beatè requiescerent eorum uictoriosissimi spiritus, non utiq; fieri sineretur.

IX.

Verùm enimuero ut Diaboli satellites in sanctorum Martyrum reliquijs absummendis, eorumdemq; memorijs funditùs abolendis strenuam operam nauabant, ita illius ætatis Christiani minimè segnes sese prebebant, in ijsdem denuo colligendis, & in lucem proferendis: quemadmodum id non de uulgaribus tantùm Christianis memoriæ proditum est; uerùmetiam de summis Ecclesiæ Hierarchis, Christianiq; populi Ducibus. Plat. in vita Corn. & Stepha. Pont. Max. Mari. Scot. Chrono. lib. 2.

X.

Quod si hic inuestigantiũ cura et solicitudo minus quandoq; proficeret, diuinitùs res promouebatur. Quare cũ D. Sebastiani corpus, quod Satanæ inuidia in uilem cloacam abiectum esset, inueniri, debitaq; cum ueneratione tumulo condi non posset, Diuus ipse Luscinæ prænobilis ac religiosi animi Matronæ, per somnum apparens, & ubi suum corpus esset, & ubi sepeliri uellet indicauit: Pari modo Diuorũ Stephani, Gamalielis, & Nicodemi reliquiæ Luciano urbis Ierosolymorum Presbytero: Geruasij uerò & Prothasij, D. Ambrosio Mediolanensiũ Episcopo: & aliæ item alijs, per nocturnam uisionem ostensæ leguntur. Tunc (inquit D. August.) memorato Antistiti tuo per uisum aperuisti, quo loco laterent Martyrũ corpora Prothasij & Geruasij, quæ per tot annos incorrupta in thesauro secreti tui recondideras, unde oportune promeres ad coërcendam rabiem fœmineam, sed regiam. Cum enim propalata & effossa digno cum honore transferrentur ad Ambrosianam Basilicam, non solùm, quos immundi uexabant spiritus, confessis eisdem dæmonibus sanabantur, uerùm etiam quidam plures annos cæcus ciuis, ciuitatiq; notissimus, cũ populi tumultuantis lætitiæ causam quæsisset, atq; audisset, exiliuit, eoq; se ut duceret, suũ Ducem rogauit. Quo perductus impetrauit admitti, ut sudario tangeret feretum, preciosæ in conspectu tuo mortis Sanctorum tuorum. Quod ubi fecit atq; admouit oculis, confestim aperti sunt. Metaphra. in vit. Sebast. Zoes. Tibur. etc. Ado in Marty. Genna. in catal. Aug. in ser. Lou. recens ædit. Lib. 9. conf. c. 7.

XI.

Sed quid mirum paganis, religionis nostræ Mysteriorum planè ignaris, eiusmodi cultum displicuisse, cùm olim quæ mille plus minus trecentos annos, & hac nostra quoq; tempestate nõ desint Christianismi charactere insigniti,

quos idem non admodum bene habet. Quid necesse est (inquiebat quondam Vigilantius) tanto honore, non solum honorare, sed etiam adorare illud nescio quid, quod in modico uasculo transferendo colis? quid puluerem linteamine circundatum adorando osculariis? prope ritum gentilium uidemus sub prætextu religionis introductum in Ecclesijs, Hæc Vigilantius. Nec sanius ferè de Diuorum reliquijs; pleriq; ætatis huius sentiunt Hæretici. Sed agendum D. Hierony. utrisq; iuxta suam ipsorum impietatem & stultitiam respondentem audiamus.

Hieron. cont. Vigilantium.

XII.

Dolet (inquit Vigilantius) Martyrum reliquias precioso uelamine operiri, & non panno uel cilicio colligari: uel proijci in sterquilinium, ut solus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur. Ergo sacrilegi sumus, quando Christianorum Basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui Sanctorum Andreæ, Lucæ & Timothei reliquias transtulit Constantinop.? apud quas Dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij illorum se sentire præsentiam confitentur? Sacrilegus dicendus est & nunc Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore de Iudæa transtulit in Thraciam? Omnes Episcopi non solum Sacrilegi, sed fatui iudicandi, qui rem uilißimam & cineres dissolutos in serico, & uase aureo portauerunt? Stulti omnium Ecclesiarum populi; qui occurrebant sanctis reliquiis, & tanta lætitia, quasi præsentem uiuentemq; Prophetam cernerent, susceperunt, ut de Palestina usq; Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Christi laudem una cum uoce rosonarent? Hæc ille.

Hiero. in eund.

XIII.

Et ne quis forte existimet illustre illud Ecclesiæ lumen, alibi secus sensisse: quid alio quoq; in loco ea ipsa de re annotarit uideamus. Ais (inquit) Vigilantium fœtidū os rursum aperire? & putorē spurcißimum contra S. Martyrum reliquias proferre? & nos qui ea suscipimus appellare cinerarios & idololatras, qui mortuorum ossa ueneremur? O infœlicem hominem, & omni lachrymarum fonte plangendum, qui hæc dicens non intelligit, se esse Samaritanum & Iudæum: qui corpora mortuorum pro immundis habent. Veneramur seruos, ut honos seruorum redundet ad Dominum: qui ait, Qui uos suscipit me suscipit. Ergo Petri & Pauli immundæ sunt reliquiæ? ergo Moysi corpusculum, quod iuxta Hebraicam ueritatem ab ipso sepultum est Domino est immundum? etc.

Epist. 2. ad Ripa.

XIIII.

Lib. 1. recog. Hieronymo porrò Basilio & Eusebio, astipulantur Ambrosius, August. Gregorius,

Gregorius, Clemens Petri discipulus, & in Pontificatu successor, Tertullianus, Damascenus, Chrysostomus, Theodoretus, & reliqui Ecclesiæ Patres & Doctores. Quòd si (inquit Ambrosius) dicas mihi, quid honoras in carne iam resoluta atque consumpta, de qua iam nulla Deo cura est? Honoro (inquit) in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices: honoro uiuentis memoriam perennitate uirtutis: honoro in cineribus semina æternitatis: honoro corpus, quod mihi Dominum meũ ostendit diligere, quod me propter Dominum, mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reuerentur & Dæmones? quod & afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro? Honoro itaque corpus, quod Christus honorauit in gladio, quod cum Christo regnabit in cælo. Rursum August. Sanctorum (inquit) corpora & præcipuè beatorum Martyrum reliquias, ac si Christi membra, syncerißimè honoranda, & Basilicas eorum nominibus appellatas, ueluti loca sancta diuino cultui mancipata, affectu pijßimo & deuotione fidelißima adeundas credimus. Si quis contra hanc sententiam uenerit, non Christianus, sed Eunomianus & Vigilantianus creditur.

Lib. de præscrip. hære.
De affectio. Græco. cura.
Serm. de Naz. & Cel.
De Ecc. dog. ca 73.

XV.

Horum omnium, & aliorum complurium, quos breuitatis studio missos facimus, Patrum autoritati, accedit perpetuus & uniuersalis Ecclesiæ usus. Nec enim uno tempore, aut uno in loco Sanctorum reliquiæ in honore & pretio fuêre, sed ubique & semper, quàm latè Christianus patet orbis. Imo uerò iam inde ferè ab exordio nascentis Ecclesiæ, usque ad hoc nostrum seculum, non à plebe tantùm, uerũ etiam ab Orthodoxis Patribus & Pontificibus, tantùm Diuorum oßibus tributũ fuit, ut fana & altaria, secus quàm cum Diuorum reliquijs initiata, profanorum loco habenda esse censuerint.

XVI.

Placuit (inquiunt Concilij Carthaginensis quinti Patres) ut altaria, quæ paßim per agros tanquam, memoriæ Martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ Martyris conditæ probantur, ab Episcopis, qui ijsdem locis præsunt, (si fieri potest) euertantur. Si autẽ hoc propter tumultus populares non sinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent: ut qui rectè sapiunt, nulla ibi superstitione deuincti teneantur: & omnino nulla memoria Martyrum acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ reliquiæ sint. Rursum, Non oportet clericos, ignaros & præsumptuosos super monumenta in campũ mysteria portare, aut

c. 14.
de conse. d. 1. ca Placuit.
Damas. in Pontif.
c. non oportet d. 1. de cons. ex cõci. Marty.

distribuere Sacramenta, sed aut in Ecclesia, aut in Basilica, ubi Martyrum Reliquiæ sunt depositæ: ubi pro defunctis oblationes fieri solent. Item

Serm. 11. de Sanctis.

Augusti. Quotiescunq; fratres (inquit) Martyria celebramus, toties Christi gloriam prædicamus Non enim suspicimus quod paßi sunt, sed propter quem paßi sunt admiramur. Igitur non pœna in laude, sed fides est in bonore, Magnificamus ergo Martyres, sed præcipuè illos, qui nascente Christo in ipso exordio, non loquendo, sed moriendo confeßi, ad regna perpetua cæteros præuenerunt. Videte autem quem ijdem locum apud bomines mereantur, qui apud Deum locum sub altario meruerunt. Dicit enim Scriptura sancta: Vidi sub Ara Dei animas occisorum propter uerbum Dei, & propter testimonium Iesu, quod habebant: sub ara (inquit) Dei uidi animos occisorum. Quid reuerentius, quid bonorabilius dici potest: quam sub illa ara requiescere, in qua Dei Sacrificium celebratur, in qua offeruntur hostiæ, in qua Dominus est sacerdos sicut scriptum est: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchizedech? Rectè sub altario iustorum animæ requiescunt, quia supra altare corpus Domini offertur. Nec immerito illic iusti uindictam sanguinis postulant, ubi etiam pro peccatoribus Christi sanguis effunditur. Conuenienter igitur & quasi pro quodam consortio ibi Martyribus sepultura decreta est, ibi mors Domini quotidie celebratur, sicut ipse ait. Quotiescunque bæc feceritis, mortem meam annunciabitis donec ueniam: scilicet ut qui propter mortem eius mortui fuerant, sub Sacramenti eius Mysterio requiescant. Non immerito (inquam) consortio quodam illic occisis hominibus tumulus construitur, ubi occisionis Dominicæ membra ponuntur, ut quos cum Christo unius paßionis causa deuinxerat, unius etiam loci religio copularet. Rursum Hierony. Romani (inquit) Pontifices offerunt Domino sacrificia super mortuorum hominum Petri & Pauli ossa ueneranda, & tumulos eorum arbitrantur altaria, &c.

Contra Vigila.

XVII.

Quòd si bis exemplis & Patrum testimonijs debilius fulciremur, adhuc tamen propter illustres uirtutes, quas Deus Opt. Max. apud Diuorum memorias paßim operari dignatur, temerarium foret in dubium uocare, grata ne Deo res sit, & Christianæ religioni consentanea Diuorum monumenta religiosè inuisere, magnaq; fide, ut Chrysost. uerbis loquar, eorundem tummulos contingere, an secus. Nec enim raro audi-

Serm. de S. Iuuc. & Mart.

tum est lumine cassos, praeter omnem naturae legem hic fuisse illuminatos: leprosos emundatos: uarijs languoribus affectos, sanatos; quosdam etiam extinctos uitali luci restitutos.

XVIII.

Audurus (inquit D. August.) nomen est fundi, ibi Ecclesia est, & in ea memoria Stephani Martyris. Puerum quendam paruulum, cùm in area luderet, exorbitantes boues, qui uehiculum trahebant, rota obtriuerunt, & confestim palpitauit expirans. Hunc mater arreptum ad eandem memoriam posuit, & non solum reuixit, uerùm etiam illaesus apparuit. Idem. Apud nos uir tribunitius Eleusinus super memoriam martyris, quae in suburbano eius est aegritudine examinatum posuit infantulum filium suum: & post orationem, quam multis cum lachrimis ibi fudit, uiuentem leuauit. Idem. Ad aquas Tiblitanas Episcopo afferente. Proiecto reliquias Martyris gloriosissimi Stephani, ad eius memoriam ueniebat magnae multitudinis concursus & occursus. Ibi caeca mulier, ut ad Episcopum portantem pignora sacra duceretur, orauit: flores, quos ferebat, dedit, recepit, oculis admouit, protinus uidit, stupentibus cunctis, qui aderant, praeibat exultans, uiam carpens & uiae ducem ulterius non requirens. Rursum Ambrosius. Cognouistis (inquit) imo uidistis ipsi, multos à Daemonibus purgatos, plurimos etiam qui uestem Sanctorum manibus contigerunt, quibus laborabant, debilitatibus absolutos, reparata ueteris corporis miracula, quo se per aduentum Domini IESV, gratia in terris maior infuderat: umbra quadam Sanctorum corporum plerosq; sanatos cernitis. Quanta oraria iactitantur, quanta indumenta, super Reliquias sanctissimas ut tactu ipso medicabilia reposcantur, gaudent omnes extrema linea contingere, & qui contigerit, saluus erit. Gratias tibi Domine IESV, quod tales nobis Sanctorum Martyrum spiritus excitasti, hoc potissimum tempore, quo Ecclesia tua praesidia maiora desiderat. Item: Quid aliud (inquit) hoc biduo, nisi uerbum Dei intimo eructastis affectu? & scientiam uos habere fidei probauistis? Cui tamen celebritati uestrae, qui solent inuident. Et quia celebritatem uestram inuitis animis ferre non possunt, causam celebritatis odere, atq; amentiae in tantum prodeunt, ut negent Martyrum merita, quorum opera etiam Daemones confitentur. Sed hoc non mirum: siquidem tanta est incredulorum perfidia ut tollerabilior sit Diaboli confessio. Dicebat enim Diabolus, Iesu fili DEI, quid uenisti ante tempus torquere nos? Et cum

hec

Lib. 22. de ciui c. 8.

In eodem capi

Ibidem.

Ambr. Epi. 85.
Aug. lib. 22. c. 8. de ciui.

Sermo. 19.

hæc audirent Iudæi ipsi: tamen filium Dei denegabant. Et nunc audistis clamantes Dæmones & confitentes Martyribus, quod pœnas ferre non possunt & dicentes: quid uenistis, ut ante tempus tam grauiter nos torqueatis? Et Arbriani dicunt non sunt isti Martyres, nec coercere Diabolum possunt, nec aliquem liberare: cum tormenta Dæmonū ipsorum uoce probentur, & beneficia Martyrum remedijs cæcorum, & absolutorum iudicijs declarentur. Hæc ille. Multa similia referunt Chryso. Homi. de nati. 7. Mach. Hom. 5. ad popul. Antio. Hom. 5. de B. Iob. Hom. quod Christus sit Deus. Homi. de S. Babyla. Grego. Turone. de glor. plur. marty. c. 8. Sophro. patriar. Hiero. in prato spirit. c. 88. Euagrius li. 4. c. 35. Greg. li. 3. dia. c. 13.

Similia negantur huius ætatis hæretici.

XIX.

Et quid mirum si illiuscemodi signa ad beatorum Apostolorum & Martyrum monumenta ædantur, cum ex diuinis literis edocti, certissima fide
4. Reg. 13. teneamus de mortua Elysæi ossa contactu suo mortuum exuscitasse: ossa
Eccl. 49. Ioseph post mortem uaticinata fuisse: umbram Petri morbos profligasse:
Actor. 5. 8. uocem eiusdem Ananiam & coniugem eius Saphiram peremisse: eandem rursus Dorcadem in uitam reuocasse: semicinctia & sudariola Apostoli
Actor. 19. Pauli super ægros & male habentes delata, morbos simul & Dæmones pepulisse: contactam Christi fimbriam sanguinis profluuium, & omne
Matth. 4. 14. præterea ægritudinum genus abegisse, & alia eius generis non pauca, cùm in ueteri tum etiam in nouo Testamento accidisse?

XX.

Nec enim quemquam futurum puto, qui maiorem uim tribuat umbræ Petri, aut sudarijs Pauli, quàm sacris eorundem Apostolorum ossibus: maius robor ossibus Elysæi uel Iosephi, quàm cineribus D. Ioannis Baptistæ, aut alterius cuiuscunq; ordinis Diui. Nec enim Deus Opt. Max. maiora semper operatur per maiores, sed minora quandoq; per maiores, & ediuerso maiora per minores. Baptista Domini, quo inter natos mulierum maior non surrexit, nullum in uiuis miraculum ædidisse legitur: plurima D. Nicolaus, & Gregorius miraculorum magnitudine θαυματουργὸς cognomentum sortitus.

4. Reg. 13. Eccl. 49.

Matth. 11.

XXI.

Et quemadmodum per maiores & illustriores Sanctos sapientissimus Deus non maiora semper & illustriora operatur, ita non eadem usq; beneficia per eosdem largitur. Vbiq; est Deus (inquit D. August.) sed quis potest perscrutari, quare in alijs locis hæc miracula fiant, in alijs non fiant?

Epi. 137. ad cleric. & populum Hipponensem.

*fiant? Et addit. Nunquid non & Aphrica sanctorum Martyrum corporibus
plena est? & tamen nusquam scimus hic talia fieri, qualia Nolæ, ubi beati Fœli-
cis corpus conditum est: & Mediolani apud memoriam S. Martyrum Ger-
uasii et Prothasii. Demum concludit. Sicut enim non omnes Sancti habent do-
na curationum, nec omnes habent dijudicationem spirituum, ita nec in omni-
bus memorijs Sanctorum ista uoluit fieri, qui diuidit propria prout uult.
Hæc ille.*

XXII.

*Nec hæc tam diuersa efficiendi uis, quam in Sanctorum Reliquijs obser-
uamus, turbare nos debet, quum in alijs quibusdam rebus, nō dissimilia quoq;
deprehendamus. Enimuerò lapis est Magnes, lapis est & Theamedes, & tū
hic (si Plinio fides est) ferrū à se pellit, ille pulsum retrahit: Aphricæ solum* Lib.35.c.16.
*pestiferis ac uenenatis animantibus abundat, Hiberniæ adeo istiusmodi nihil
educat, ut aliunde etiam illata extinguat. Angliæ & Franciæ Reges solo ta-* Beda, Hist. Angl. lib.1.c.
*ctu strumarum uitium sanare dicuntur, cæteri, ne summis quidem conatibus,
id possunt. Sic si rerum naturam spectes, non maiores uires habet diluendis
criminibus Elementum aquæ, quam aliud quoduis, & tamen per aquam uitæ* Io.3. Matth.ult.
*uerbo accedente, animæ expiantur, per ignem autē, aërem, aut terram ex-
piari non possunt, aut saltem non eo modo: Naaman Syrus lepram, quam
uel millies in fluuio Damasceno Farfar ablutus pellere non potuisset, ablu-* 4.Reg.5.
tione septies repetita, pepulit in Iordane: Probatica piscina Hebraice Io.5.& 9.
בית צידא *cognominata, ministerio Angelorum mota, nullū morborum ge-* Ioa.9.
*nus non propulsabat: Natatoria Syloæ uni duntaxat cæco opem tulisse le-
guntur. Deniq; ut Poëta canente. Non omnis fert omnia tellus. Rursum, Non* Eclo.8. Georg.1
*omnia possumus omnes: ita etiam non omnis ualet omnia Diuus: uel potius
non omnia per unum effici uult Deus: sed hoc per illum aliud rursum per ali-
um. Et tamen hæc omnia in maiorem nominis Diuini gloriam, maioremq;
Christiani populi utilitatem cedunt.*

XXIII.

*Nam si Deus Opt. Max. per insigniores duntaxat Sanctos, sua nobis do-
na impertiretur, imperita mortalium turba Diuorū sanctimonia, ex huius-
cemodi uirtutibus metiens, minùs celebres uel omnino negligeret, uel certè
multo, quàm par est, minoris duceret: id quod in apertum cùm Christianæ
Religionis detrimentum, Sanctorumq; contemptum, tum etiam in non par-
uam, nominis illius, à quo Sancti omnes suam sanctitudinem acceperunt, in-
iuriam redundaret.*

XXIIII.

Adde quod ista uirtutum & operationum, uel fontium potius, unde isti-

 usmodi

iusmodi uirtutes & operationes proscaturiunt diuersitas, utriusq; Ecclesiæ, militantis (inquam) & triumphantis analogiam luculenter nobis ob oculos ponat. Nam & in militante quoq; Ecclesia, non solùm in naturalibus, uerum etiam in gratuitis, alios alijs præstitisse legimus. Abrahami laudatur obedientia & fides: Iob commendatur patientia: Dauidis extollitur sanctimonia: Moysi celebratur charitas & mansuetudo: Iosephi decantatur castimonia, & aliorum item alia. Non quòd prædicti Sancti in alijs quoq; uirtutibus non excelluerint, (sunt enim uirtutes omnes in eodem existentes secundum habitum ad inuicem pares) sed quod secundum usum, unus in hac, alius excelluerit in illa.

Gen. 15. Rom. 4. Gal. 3. Iacob. 2. Iob 1. 2. Act. 13. Exo. 32. Gen. 39. D. August. 6. de Trinit. Thom. 12. q. 65. art. 2.

XXV.

Quid quod hæc donorum & uirtutum disparitas, non solùm in diuersis, sed pro locorum et temporum ratione, in ijsdem quoq; Sanctis nonnunquam locum habeat? Etenim Deus Opt. Max. Laureti in Italia. Guardalupi in Hispania. Oetingæ in Germania, per sacratissimæ matris suæ merita, quædam elargitur, quæ alijs in locis non ita. Pari modo D. Iacobus Compestellæ (ubi sacrum illius corpus asseuerari dicitur) aliquid cultoribus suis impetrat, quod alibi nō perinde. Imo uero ijdem Sancti ijsdem in locis, quædam statis quibusdam diebus obtinere solent, quæ non quouis tempore promiscuè.

XXVI.

Cæterùm quæ de Sanctorum ossium & cinerum ueneratione hactenus dicta sunt, ea ipsa etiam de uestibus, sudariolis, semicinctijs, cæterisq; omnibus, quæ in Diuorum usum uel ministeriū quoquo modo cesserunt, uel sacras eorum exuuias contigerunt, accipi debent. Nam etsi istiusmodi rebus minor fortassis uis adsit, quam partibus eorum materialibus, tamen ut Scripturæ & S. Patres docent, & cœlestia signa confirmant, & illis quoq; sua adest ἐνέργεια & sanctimonia.

XXVII.

Lib. 22. de ciuit. cap. 8. Sanctimonialis (inquit D. Aug.) quædā in uicina possessione, quæ Caspaliana dicitur, cum ægritudine laboraret, ac desperaretur, ad eandem memoriam tunica eius allata est, quæ antequam reuocaretur, illa defuncta est. Hac tñ tunica operuerūt cadauer eius parentes, et recepto spiritu salua facta est.

Ibidem. Idem. Apud Hipponem Bassus quidam Syrus, ad memoriam eiusdem Martyris orabat pro ægrotante & periclitante filia, eoq; secum uestem eius detulerat: cum ecce pueri de domo cucurrerunt, qui ei mortuam nunciarent. Sed cum, orante illo, ab amicis eius exciperetur, prohibuerunt eos illi dicere, ne per publicum plangeret. Qui cum domum redisset, iam suorum eiulantibus

tibus

tibus personantem, et uestem filiæ, quam ferebat, super eam proiecisset, reddita est uita. Idem. Apud nos Hyrenæi cuiusdam collectarij filius, ægritudine extinctus est. Cumq; corpus iaceret exanime, atq; alijs gementibus & plangentibus, exequiæ pararentur, amicorum eius quidam inter aliorum consolantium uerba suggessit, ut eiusdem martyris oleo corpus perungeretur. Factum est, & reuixit. Rursum Chrys. Quid (inquit) de locis ac sepulchris Sanctorũ uerba facio? quum & sæpe uestis sola martyrum uisa, & uerbum uiuum in mentem influens, animum nostrum excitet, & memoriam interlabentem refricet. Quibus de caussis nobis Sanctorum reliquias Deus reliquit. Porrò autem quòd hæc dicam, non temerariæ iactantiæ causa, sed quod idipsum emolumentum, nostri gratia factum fuerit, abundè orationi nostræ fidem faciunt, tamque quotidiana à Martyribus miracula eduntur, magna afflatim ad illa hominum multitudine affluente, tum illis nihilo inferiora Babylæ præclara, post ipsius obitum, uirtutis egregiæ specimina. Et addit. Ea enim est Sanctorum potestas, ut illorũ superstitum ne umbras quidem, aut uestes ferre possint: (dæmones) uita autem functorum, & loculos quoq; reformident. Itẽ S. Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus. Intemeratæ (inquit) Dei secundum carnem Matris encænia mente, anima, & corpore celebremus: nam uni cum ea elucet uenerandæ eius Zonæ, & intemeratarum eius filij fasciarum Christi ueri Dei nostri depositio & adoratio, Zonæ (inquam) maximè uenerandæ, fasciarum preciosissimarum. Zonæ illius, quæ sanctissimum illud corpus constringebat, & Deum, qui in utero celabatur, continebat. Et infra. O Zona (inquit) quæ ijs, qui ad te confugiunt das lumborum quidem mortificationem ad uitia, animi autem fortitudinem ad uirtutum operationem. O Zona, quæ naturæ nostræ imbecillitatem astringis, & roboras, & inimicos nostros, tam qui sub aspectum cadunt, quàm qui non cadunt, impedis. O fasciæ, quæ liberatorem Dominum inuoluistis, & nostrorum peccatorum cathenas dissoluistis. O fasciæ, quæ fortiter Dominum constrinxistis, & imbecillitatem nostri generis roborastis. O fasciæ & Zona ueneranda, tribuite sanctificationem, corroborationem, & expiationem ijs, qui fide accesserunt ad sanctum hoc templum, & cum desiderio uos colunt & adorant. Similia in eiusdem Zonæ & fasciarum laudem decantat Euthymius. Proposita est (inquit) nobis hodie ad adorandum ueneranda, intacta, incorrupta, & uel ab ipsis supremis ministris colenda Zona. supra quam dici potest benedictæ & gloriosæ semper Virginis, & interematæ Domini nostri Deiparæ etc.

Eodem cap.

Orat. de S. Babyl.

In encomio Zonæ uirginis matris & fasciarum Salua. nostri Iesu Christi. Simon Metaphr.

In encomio adora uenerandæ Zonæ & fasciarum D. n. Simon Metaphr.

Pari animi affectu D. Chrysost. ferebatur in cathenas Petri & Pauli: D. Antonius in uestem Pauli, inter Aegyptios Monachos Anachoretæ primi: Athanasius in Melotem & tritum pallium Anthonij: Hesperius (ut alios omittam) in puluisculum terræ sanctæ. Vellem (inquit Chrysost.) nunc in illis locis uersari, in quibus uincula illa manent, & cathenas uidere, quas timuerunt quidem Dæmones, & horrent: & Angeli uenerantur. Si Ecclesiasticis curis essem uacuus, corpusq; robustum haberem, nequaq̃ tantam peregrinationem facere recusarem, quò cathenas saltem uiderem & carcerem, quo Paulus uinctus fuit. Et alibi rursum. Romæ, quæ urbs est regalißima, relictis omnib. ad sepulchra piscatoris & pellionis currunt, et reges, & præsides, & milites. Et in Constantinopoli Reges nostri magnam gratiam putant, non si prope Apostolos, sed si uel extra eorum uestibula corpora sua sepeliantur, fiantq; piscatorum ostiarij, reges. Rursum D. Hierony. Postquam (inquit) alia dies eluxit, ne quid pius hæres (Antonius) ex intestati bonis, non poßideret, tunicã eius (Pauli) sibi uendicauit, quàm in sportarũ modum, de palmæ folijs ipse sibi contexuerat. Ac sic ad Monasterium reuersus, discipulis cuncta ex ordine replicauit, diebusq; solennibus Pascæ & Pentecostes semper Pauli tunica uestitus est. Item Athanasius, Vestimentorum meorum (inquit Antonius) sit hæc diuisio. Melotem & pallium tritum, cui superiaceo Athanasio Episcopo date, quod mihi nouum ipse detulerat: Seraphion Episcopus aliam accipiat Melotem: uos cilicinum habetote uestimentum, & ualete uiscera mea. Antonius enim migrat, et iam non erit in præsenti sæculo nobiscum. Verba finierat, & osculantibus se discipulis extendens paulolum pedes, mortem lætus aspexit: ita ut ex hilaritate uultus eius, Angelorum sanctorum præsentia nosceretur. Hos intuens, tanq̃ amicos uideret, animam exhalauit. Mox subdit. Seruauerunt mandata discipuli: inuolutum, ut præceperat, corpus humo operientes. Legatarius autem Antonij benedicti, qui tritum pallium, cum Melote imperio eius meruerat recipere: Antonium in Antonij muneribus amplectitur, & tanq̃ magna hæreditate ditatus, lætanter per uestimentum, recordatur imaginẽ sanctitatis. Rursum Augustinus. Vir (inquit) tribunitius Hesperius, cùm afflictione animalium & seruorum domum suam spirituum malignorum uim noxiam perpeti comperisset, rogabat nostros, me absente, Presbyteros, ut aliquis illorum illò pergeret, cuius orationibus cederent: perrexit unus, obtulit ibi Sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa uexatio: Deo protinus miserante cessauit. Acceperat autem ab amico suo terram sanctam

Homil. 5. ad popu. Antiochenum. & Homi. 5. de B. Ioan. & hom. quod Christus sit Deus.

In vita Pauli anachoretæ.

In vita diui Antonij.

Lib. 22. de ciuit. Dei. c. 8.

sanctam de Hierosolymis allatam, ubi sepultus Christus, die tertio resurrexit, eamq; suspenderat in cubiculo suo, ne quid male etiam ipse pateretur. At ubi domus eius ab illa infestatione purgata est, quid de illa terra fieret, cogitabat: quam diutius in cubiculo suo reuerentiæ causa habere nolebat. Forte accidit, ut ego & collega tunc meus, Episcopus Synicensis Ecclesiæ Maximimus, in proximo essemus, ut ueniremus, rogauit & uenimus. Cumq; nobis omnia retulisset, etiam hoc petiuit, ut infoderetur alicubi, atq; ibi orationum locus fieret: ubi etiam possent Christiani ad celebranda, quæ Dei sunt, congregari. Non restitimus, factum est. Erat ibi iuuenis paralycitus rusticanus, qui hoc audito petiuit à parentibus suis, ut illum ad eum locum sanctum non cunctanter afferrent. Quo cum fuisset allatus orauit, atq; inde continuo pedibus suis saluus abcessit.

XXIX.

At Christi uerò humanitatem quod attinet, licèt eum illa ad personam ordinem sortita uideatur, quem Sanctorum reliquiæ ad suos sortiuntur spiritus: iuxta illud Athanasianum. Sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus: non ita tamen ad eam est affecta. Nec enim humanitas Christi, pars est personæ intrinseca: ut quæ per se sit perfecta, nec rursum persona Christi humanitatem informat, ut anima suum corpus solet: sed ipsa humanitas per se est natura quædam perfecta, licet nouo quodam & inexplicabili modo, non propria, sed uerbi hypostasi sustentetur. In Symbolo.

XXX.

Non est ergo hùmana in Christo natura, ut Sanctorum exuuiæ, per accidens adoranda, sed per se & propriè, quamuis infra Deum. Nam ut maximè propter personæ identitatem, Deus & homo suas sibi mutuo proprietates communicent, ita ut rectè & Catholicè Deus dicatur natus, passus, mortuus, sepultus & aliud quiduis huiusmodi: & è diuerso homo immensus, omnipotens, creator, uiuorum & mortuorum iudex, naturæ tamen eam ἰδιωμάτων κοινωνίαν nequaquam admittunt, æque enim falsò asseritur diuinam naturam passam uel mortuam fuisse, atq; erroneè dicitur, naturam humanam esse immensam, æternam, ubiq; præsentē &c. Matt. 17. 27. Marc. 9. 10. Luc. 24. Ioan. 20. 2. Actor. 3. 4. Rom. 5. 1. Cor. 8: 9. 15. 2. Cor. 5.

XXXI.

Quare si qui humanæ in Christo naturæ latriæ ad orationem exhibendam esse contendunt, latius illi uocabulum illud latriæ, quàm Patres & Concilia accipiunt. Certum est enim & ex Scripturis manifestum Verbum secundum naturam assumptam Patri subesse: Si (inquit Dominus) Nice. 1. act. 3. Nice. 2. Basil. ad Amphi. August. lib. 20. cont. Fau. c. 21. & li. 15. c. 10.

contra eundem Damasc. lib. 3. Apolo, To. 14.

diligeretis me, gauderetis utiq;. quia uado ad patrem, quia Pater maior me est: si Pater maior, maior igitur ei debetur adoratio: at maxima est latriæ. Filio ergo secundū naturam assumptam, & multo mag's naturæ ipsi assumptæ, debebitur adoratio λατρείας adoratione minor: siue illā appelles Hyperduliam, siue duliam, siue alio quocunq; nomine.

XXXII.

At uerò de Christi, siue is intra, siue extra Eucharistiæ Sacramentum existat, adoratione, idem planè statuo: cùm utrobiq; una eiusdem sit gloria: una maiestas: una potentia atq; sanctitas. Vnde Synodus Tridentina. Si quis (inquit) dixerit in S. Eucharistiæ Sacramento, Christū unigenitum Dei filium, non esse cultu latriæ etiam externo adorandum, atq; ideo nec festiua peculiari celebritate uenerandum: nec in processionibus secundum laudabilem & uniuersalem sanctæ Ecclesiæ ritum & consuetudinem solenniter circumgestandum: uel non publicè, ut adoretur populo proponendum, & eius adoratores esse idololatras, anathema sit.

Sess. 13. cap. 6.

XXXIII.

Nec ab hoc decreto dissentit D. August. Quid (inquit) fratres habemus adorare? Scabellum pedem eius. Sed uidete quid nos iubeat adorare? Alio loco Scriptura dicit: Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum Ergo terram iubet nos adorare? Et quo modo adorabimus terram, cum dicat apertè Scriptura. Dominum Deum tuum adorabis: & addit, Anceps factus sum, timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit cœlum & terram. Rursum timeo non adorare scabellum pedum eius. Quæro quid sit scabellum eius, & dicit mihi Scriptura. Terra scabellum pedum meorum. Fluctu ans conuerto me ad Christum, quia ipsum hic quæro, & inuenio quo modo sine impietate adoretur terra: sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit: inuentum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Hæc ille, de Christi in Sacramento adoratione.

In Psal. 98. Tom. 8.

Esa. 66. Matth. 5.

XXXIIII.

Quin ipsi Sacramento, ut Sacramentum est, suus quoque debetur honos.

honos. Nam etsi species sacramentales, nulla pars Christi existant, ipsum tamen, omnibus arcæ fœderis, (quæ tamen eximia apud Iudæos in ueneratione habebatur) opibus augustiorem uere, realiter, & substantialiter, intra sese continent. Et quod de accidentibus illis sacramentalibus hic dicitur, id etiam de clamyde purpurea, tunica inconsutuli, corona spinea, clauis, lancea, & reliquis Dominicæ passionis insignibus, dictum accipiatur: sunt enim hæc omnia propter Christum, uel Christus potius in ipsis, singulari quadam honoris, & reuerentiæ prærogatiua colenda. 1. Reg. 8. 2. Reg. 6.

XXIX.

De partibus porro Christi materialibus (si quæ tamen eiusmodi adhuc supersunt) aliquanto difficilior est quæstio: siquidem partes eiusmodi aliquid Christi cui uideri possunt, per se adoratio debetur: nihilominus quòd per se, extra diuinum suppositum iam subsistant, animaq; careant, non sunt alia ratione adorandæ, quàm cætera, quæ extra Christum constituta, aliquem ad ipsum coniunctionis uel similitudinis ordinem habent.

XXXVI.

Nec obstat illud his Damascenianum, quo asseritur, quod Verbum semel assumpsit, id nunq; postea deseruisse. Quandoquid Damascenus, & reliqui, post ipsum, Patres, de tota Christi humanitate loquuntur, non de partibus materialibus. Illæ namque, dum animalem adhuc uitam degeret, perpetuæ cuidam uicißitudini, hoc est affluxui & defluxui, erant obnoxiæ. Nec enim Christus tantæ molis erat, primo conceptionis suæ momento, quantæ erat postea adultior iam factus: creuerat ergo: ubi autem datur incrementum, ibi partium quarundam deperditio detur necessum est. Atq; ita ut nouæ quædam partes humanitati eius per alimentarias facultates subinde adiungebantur, ita nonnullæ quoque, per caloris naturalis actionem ab eadem seiungebantur. L. 3. Ortho. fid

DE

DE SACRARVM IMAGINVM
usu & Veneratione. Thesis I.



AEterum Diuorum spiritus, & sacras eorundem reliquias ita ueneramur, ut tamen ab hac honoris communione, uenerandas eorum iconas non penitus excludamus. Non quod numen aliquod, propter quod per se coli debeant istiusmodi rebus inesse arbitremur: sed quod nostrum erga eos, quorum illæ signa existunt, studium internamq; animi propensionem, symbolo aliquo externo declarare cupiamus.

Damasc. li. 4. c. 12. Syno. Senon. decr. 14. Syno. Trid.

II.

Quare licet non impropriè Christi uel Sanctorum imagines adorare dicamur, propterea quod ceruices coram illis incuruamus: capita retegimus: preces fundimus, & alia id genus factitamus: tamen quod hic honos in imaginibus pedem non figat, sed aliò, nempè ad ipsa πρωτότυπα recta contendat, non minus fortaßis propriè Christum, aut alium è Diuorum numero quemlibet, ante uel coram uel in ipsis imaginibus uenerari diceremur, quam ipsas imagines. Imago siquidem est id, per quod Christus uel Diuus quispiam adorandi, mentis nostræ obtutui proximè obijciuntur. Est enim aliud nihil Christi crucem, uel Apostoli effigiem adorare, quàm Christum ipsum crucifixum, uel Apostolum adorare.

Amb. in obit. Theod. Imp.

III.

Quemadmodum (inquit Leontius Cyri Episcopus) qui mandatum Imperatoris suscepit, illius sigillum osculando, non ipsam ceram, aut characterem, aut plumbum ueneratur, uerum Imperatori ipsi adorationem & cultum exhibuit: ita quoq; Christianorum filij, typum Crucis adorantes, non naturam ligni adoramus, sed sigillum, & annulum, & characterem, Christum ipsum aspicientes, per hoc eum, qui in illo crucifixus est salutamus & adoramus. Rursum idem. Et quemadmodum (inquit) genuini filij, peregrinante longo tempore Patre, ingenti amore ex animo erga eum affecti: quicquid illius in domo uiderint, siue baculum, siue sedem, siue chlamydem, hæc (inquam) omnia cum lachrymis attrectantes amplexantur, non illa honorantes, sed Patrem desiderantes & uenerantes: sic & nos fideles omnes Crucem Christi, tanquam uirgam adoramus: ut sedem uerò & cubile illius, ter sanctum sepulchrũ: præsepe autẽ & Bethlehem, reliquasq; illius habitacula, ut domum: sic Apostolos illius beatosq; Martyres, & reliquos Sanctos, ueluti amicos illius colimus. Ita Sion tanquam illius ciuitatem,

In deceptatione quadam contra Iudæum.

Synod. Nic. 2. Actor. 4.

tatem, Nazareth uerò tanquam illius patriam amplectimur. Non aliter etiam Iordanem, quàm diuinum illius lauacrum reueremur. Magna etiam & inexplicabili erga eum amore, quo ascendit, ubi resedit, ubi apparuit, aut quod tetigit, aut omnino obumbrauit, tanquàm Dei locum colimus & adoramus. Non ipsam regionem aut lapides ueneramur, sed eum qui in illis conuersatus est, nimirum Christum Dominum Deum nostrum. Hinc etiam propter Christum, Christiq; passiones, passim in Ecclesijs, in domibus & foro, in picturis, in syndonibus, in promptuarijs, in uestibus, omnibus deniq; in locis hanc figuram ponimus, quo continuo contemplantibus nobis hæc in mentem ueniant, & non obliuiscamur. Et paulo infra. Et sicut tu (ô Iudæe) adoras librum legis, non naturam membranarum aut atramenti adorans, sed uerba Dei, quæ in illo continentur: sic & ego Deum & imaginem Christi adorans, non lignorum aut colorum naturam adoro, absit, sed inanimatum characterem Christi. Hunc enim cum habeam, per ipsum, Christum me tenere & adorare mihi uideor. Et quemadmodum Iacob, accipiens à filijs suis uestem sanguine conspersam Ioseph, cum lachrymis eam osculatus est, suisq; oculis circumposuit: non ipsam uestem diligendo, aut honorando hoc fecit, sed per eam, arbitratus est se Ioseph osculari, & in manibus habere: sic etiam Christiani homines imaginem Christi, aut Apostoli, aut Martyris tenentes, nostraq; carne osculantes, animo uidemur nobis ipsum Christum, aut Martyrem amplecti. Rursum Chrysostomus. Nonne (inquit) iniuria afficit regem, qui regiam uestem uiolat? non nouisti quod is, qui iniuria afficit imperatoriam imaginem, in Imperatorē ipsum, ueluti exemplar imaginis, eiusq; dignitatem iniurius est? Nescis quòd quicunq; ex ligno & coloribus imagini conuitia dicit, illum non damnari, ueluti in rem inanimatam, sed contra regem ipsum dixerit? Et infra. Omnia (inquit) facta sunt in gloriam Dei, & ad nostram doctrinam: quare ad pluuiæ ministerium dictum est, Impleatur terra fructuum copia: mare natantibus: omnia Deo seruiunt, imo potius imagini Dei: Nam cùm Regiæ figuræ & imagines in ciuitatibus inferuntur, populus non ipsam tabulam, aut ex cera factam imaginem honore prosequitur, sed potius Regiam historiam, & ueluti præsentiam suscipiunt. Eodem sanè modo & ipsa creatio, non terrenam istam speciem, sed cœlestem historiam admiratur. Rursum Gregorius Nyssenus. Vidi (inquit) non infrequenter passionis figuram, nec sine lachrymis eiusmodi figuram transij: cùm scilicet opus artificij, in personam significatam, demonstratum esse uiderem. Et addit. Nunquid materia diuersorum colorum animi imitationem non repræsentat? Nam qui imaginem aspicit, quæ ex arte per diuersos colores in

Marginal notes: Gen. 37. — In serm. in parabolam sementis. — Syn.Nic.2.act.21 — In eod. ser. — In ser. de Abrahā.

F tabula

a Cyrill. in expo. Euang. Matth. Athan. lib. de eo quod do. car. assumpsit. Ambro. li. 3. c. 9. ad Grat. *tabula expressa est, non ex pictura & colorum tinctura similitudinem accipit, sed ad contemplationem primi exemplaris animum reducit.* Hæc illi. Quibus alij [a] non pauci assentiuntur.

Hierõ. in quodam serm. de imagi. admissione etc.

IIII.

Atq; huc illi haud dubiè spectarunt, qui imaginum adorationem inficiari uisi sunt. Perlatum ad nos fuerat (inquit Gregorius ad Serenum Massiliensis Ecclesiæ Antistitem scribens) *quod inconsiderato zelo succensus Sanctorũ imagines, sub hac quasi excusatione ne adorari debuissent confregeris: & quidem eas adorari uetuisse, omnino laudamus: fregisse uerò reprehendimus.* Et addit. *Dic frater à quo factum esse sacerdote aliquando auditum est, quod tu fecisti? aliud est enim picturam adorare, aliud per picturæ historiam, quid adorandum sit discere.* Nam quod legentibus Scriptura, *hoc & idiotis præstat pictura cernentibus: quia in ipsa ignorantes uident, quid sequi debeant, in ipsa legunt, qui legere nesciunt.* Hactenus Gregorius, à cuius loquendi formula, haud multum discrepant, quæ alicubi tradit

c. Perlatũ, de consec. d. 3. ep. lib. 9. ep. 9.

In serm. 4. mar. Basilius. *Bellorum (inquit) trophæa & uictorias, & historici scriptores, & pictores demonstrant. Et hi quidem oratione rem exornantes, illi uero in tabulis depingentes, multos ad uirtutem & uirilitatem excitant. Siquidem, quæ historia oratione exprimit, hæc tacens pictura per imitationem ostendit.*

V.

Verum enimuero utcunq; loquaris, siue hoc, siue illo modo, certum est imaginum (ut imaginũ munus obeunt) uenerationem, salua fide, negari non posse. Nam præterquam quod sacra & Oecumenica Concilia, & orthodoxi Patres, sacrarum & uenerabilium nominibus eas passim appellant, earundemq; usum & cultum plerisq; in locis approbant, ipsa etiam ratio hoc ipsum apertè dictat. Nam qui coram Christi, uel Pauli, uel alterius cuiusq; Diui effigie procumbunt, aut caput retegunt, dubium nullum est, quin eo ipso momento, quo id faciunt, animo concipiant rem illam, coram qua genua ponunt, aliud referre, puta Christum, uel Apostolum, uel alium quemuis Sanctum: pronaq; uoluntate in eam, non quidem ut aurum, uel argentum, uel aliud quiduis eiusmodi est, sed ut Christi, uel Pauli, uel alterius cuiusq; Diui effigies est, ferantur: alioquin enim ante ipsam, non procumberent, aut caput retegerent. Iam uerò ad hos rationis et uoluntatis actus, necessario nonnullus consequitur honos, siue eum cum Græcis appelles ἀσπασμὸν, siue προσκύνησιν, siue τιμὴν, siue φίλημα siue alio quocunq; nomine.

Tharas. in ep. ad Constant. & Iren. Impera.

VI. Nec

VI.

Nec obstat, quod huius qualiscunq; uenerationis causa non existat in iconibus, sed in alio, nempe in prototypis. Nam ut annulum, aut torquem, aut uestem, aut aliud quoduis eiuscemodi demortui parentis uel amici κειμήλιον, mnemosyni cuiuspiam loco nobis assignatum, nõ quidem propter intrinsecum ipsius rei ualorem, qui quandoque non admodum magnus est, sed propter gratam defuncti recordationem, quem symbolum illud in mentem nobis reducit, diligimus, & tamen uerè diligimus, maximiq; nonnunquam facimus: ita etiam sacras Diuorum *iconas, propter* Diuos *quidem, quos illæ nobis ob oculos ponunt, colimus & ueneramur, sed tamen uerè colimus & ueneramur: minus tamen quam* Diuos *ipsos. Sicut etiam* Iacob, *uestem filij sui* Ioseph *percharam quidem habebat, chariorem tamen* Ioseph, *propter quem uestem illam sanguine tinctam complectebatur.* Gen. 37.

VII.

Ad Patres uero et Ecclesiæ Doctores quod spectat, adeo illi disertè de sacrarum imaginum usu & ueneratione loquti comperiuntur, ut meritò insana eorum impudentia sit censenda, qui nugantes effutire non dubitant, apud antiquos Scriptores ne γρῦ quidem de earundem cultura extare. Basilius. *Credo (inquit) in unum Deum patrem omnipotentem, Deum patrem, Deum filium, Deum Spiritumsanctum: unum Deum hæc tria adoro & glorifico. Confiteor etiam filij incarnatam οἰκονομίαν, deinde sanctam Mariam, quæ secundum carnem illum peperit, hanc Deiparam uocans: suscipio etiam sanctos Apostolos, Prophetas, & Martyres, qui pro me apud Deum supplicant: quo per illorum mediationem, propitius mihi sit Deus, & remissionem peccatorum mihi gratis largiatur. Quam ob causam & historias imaginum illorum honoro, & palam adoro. Hoc enim nobis traditum à sanctis Apostolis, non est prohibendum: sed in omnibus Ecclesijs nostris eorum historias erigimus.* Damascenus. *Adoramus etiam (inquit) figuram preciosæ & uiuificæ Crucis, tametsi ex alia materia facta est: non materiam uenerantes, absit enim, sed figuram tanquam Christi signum. Et paucis interiectis. Adorandum est igitur signum Christi, ubi enim erit signum eius, illic & ipse erit. Materia autem ex qua figura Crucis exprimitur, siue sit aurum, siue lapides pretiosi, aut alia quæuis materia, post figurationem, si contingit dissolui, non est adoranda. Omnia igitur, quæ Deo adiacuerunt, adoramus, ipsis reuerentiam pietatisq; cultum exhibentes.*

Aduersus Iulia. Syn. Nice. act. 2.

Imaginũ cultus, Apostolica traditio est.

In orat. in laudem S. crucis.

Michaël Syngelus. Non solùm (inquit) nugamenta & prodigiosa menda-
In vita D. Dion. cia, quæ à semente Zizaniorum, Apostolorum temporibus superfata sunt hæ-
resi plena, radicibus auulsit, (Dionysius) uerùm etiam impias blasphemias,
atq; deliria omnia, quæ in posterum contra sanctam, parisq; potentiæ Trini-
tatem, contraq; Dei uerbum hominem factum, nempe Christum saluatorem
nostrum, & quæ contra Christiani nominis plenitudinem, & contra dedi-
cationem et adorationem sanctarũ & uenerabilium imaginum, in sacris Ec-
clesijs et sedibus Apostolorum, per uniuersum orbem terrarum irrepserant,
In epi. Adri. Pon. Max. ad Const. & Iren. Imp. missa. funditus abstulit. Stephanus Bostrorum Episcopus. Omnis (inquit) imago,
siue Angelorum sit, siue Prophetarum, aut Apostolorum, aut Martyrum,
aut alioquin iustorum uirorum, in nomine Dei facta, sancta est. Non enim
ipsum lignum honoratur, sed ipsum illud, quòd in ligno datur contemplan-
dum: atq; ita per recordationem ueneratio exhibetur. Et addit. Omnes
Principes, etiamsi pessimi sint peccatores, adoramus & reuerenter saluta-
mus, quid igitur uetat, quo minus liceat & sanctos Dei ministros uenerari, et
in memoriam illorum imagines statuere, & erigere ne in obliuionem perpe-
Lib. 2. de uisi. infir. c. 3. tuam ueniant? August. Sunt (inquit) quædam exteriora signa pigritan-
tis etiã fidei aliquando excitatoria, quæ Christianitatis religio uult obser-
uari. Hæc & tu fili mi ne negligas, erunt siquidem & tibi ipsi salubria,
& mihi, charisq; tuis consolatoria. Habent siquidem Christianorum arca-
na, illius Dominicæ Crucis, ipsius quasi quoddam uenerabile monumẽtum,
quod de Crucis ipsius imaginatione, Crucem cognominant, quod & nos
omni ueneratione dignissimum fatemur, & ad recordationem crucifixi no-
stri ueneramur. Adijcitur etiã super Crucẽ quædam hominis inbi patientis
imago, per quod salutifera Iesu Christi nobis renouatur passio: hanc com-
In epist. ad Germ. Patriarch. Const. act. 4. Syn. Nice. plectere humiliter, uenerare suppliciter etc. Gregorius Magnus. Bellum
(inquit) erat cum impijs, in quo licet non apertè, insignem tamen belli soci-
um habuisti Deum nostrum Christum: cuius quidem labarum insigne gesta-
sti, ipsam dico uiuificantem Crucem, magnum illud, post mortem illius, tro-
phæum: in quo mundi fines quadripartito descripsit, partes etiam eius, li-
teris indicauit. Deinde etiam sanctam omnium Dominæ, castæ Dei matris
imaginem, cuius faciem Diuites populi supplicant. Sanctum enim est, ut Pa-
tribus uidetur: nam quicunq; eam ita uenerantur, his sine dubio magna re-
tribuit. Quandoquidẽ imaginis ueneratio, in prototypum, iuxta Magnum
Basilium, redit. Pietate enim plenum est, uenerandarum picturarum argu-
Eadem act. mentum, ut author est Chrysost. Si quis (inquit) alius, ego certè ex cera fu-
silem picturam pietate plenam amaui etc. Et addit. Nec Ecclesia unquã errauit
in hoc,

in hoc, quod dixerit Deum imagines nobis concessisse: nec hoc etiam Ethnicam traditionem sapit. Nam & in Panneadem ciuitatem Hæmorroissæ imago transmissa, in memoriam miraculi, quo herbæ excrescentes omnibus ægritudinib. auxiliares erant, celebratur: idq; summa erga nos Dei bonitate. Ergo Ecclesiæ capita & columnæ talia fieri permiserunt & tradiderunt, ut in omnium oculis huiusmodi picturæ exhiberentur etc. Venerabilis Beda. Post dies (inquit) uenit ad Insulam Rex, & residens sub diuo, iussit Augustinum cum socijs ad suum ibidem aduenire colloquium: Cauerat enim, ne in aliquam domum ad se introirent, uetere usus augurio, ne superuentu suo, si quid maleficæ artis habuissent, eum superando deciperent. At illi non Dæmoniaca, sed diuina uirtute præditi ueniebant, Crucem pro uexillo ferentes argenteam, & imaginem Domini Saluatoris in tabula depictam, Litaniasq; canentes, pro sua simul, & eorum propter quos, & ad quos uenerant, salute æterna Domino supplicabant. Eufeb. Hist. Eccl. lib. 7. c. 14. Histo. Angl. lib. 1. c. 22.

VIII.

Non minus illustria, cùm de sacrarum imaginum usu, tum etiam de earundem ueneratione, testimonia comperias apud Cypria. de hæret. bapti. rursum lib. 1. epist. 12. ad Ianua. & de unitate Ecclesiæ. Origin. hom. 6. in Iob, & lib. 6. epist. ad Roma. & in Psalm. 38. Tertul. de corona militis, & in Apolo. Grego. Nisse. in uita Theodori. Basil. de Spiritusancto, cap. 27. Euseb. in historia Potam. li. 6. cap. 5. Cyril. li. 6. contra Iulianum. Dionys. de Eccles. Hier. Iusti. Apolo. 2. contra Ethnicos. D. Hieron. ad Lætam. Beda in hist. Angelicana li. 1. cap. 25. Euseb. in uita Constant. lib. 1. 2. 4. Athanas. ad Antio. quæst. 16. Basil. orati. de Barla. Martyre. Theodo. collect. lib. 1. Greg Nissenus. Pauli. in Fœlice. August. de consensu Euangelistarum, lib. 1. cap. 10. Niceph. lib. 14. cap. 2. Cypria. lib. 3. epist. 26. Orige. lib. 3. in Iob. Tertull. in Scorp. Basil. in Gordio. et de SS. cap. 28. Ambros. lib. 2. de Sacrament. cap. 5. Athana. de humanitate uerbi. Grego. Nazian. orat. 2. in Iulianum. Grego. Turo. de gloria plurimorum Martyrum cap. 21. Paulus Diaco. hist. Longob. lib. 3. cap. 6. & 11. rerum Romanarum lib 8. Ambro. serm. 56. Regin. in Chronicis, & Paul. Aemilius in hist. Francorum lib. 2. Phoci. Constant. Episc. ut habetur in Panoplia Euthymij. Ruphin. lib. 2. hist. Eccles. cap. 33. Euseb. lib. 8. cap 6. Niceph. lib. 4. & lib. 6. cap. 16. & lib. 16. cap. 27. Isidor. Sabinen. in epist. de captiuitate. Item Constanti. Zonar in Michael. & in Theodora. Epipha. lib. 1, tom. 2. hæres. 30. Theodo. lib. 5. cap. 21. Pallad. in uita Macha. & Isido. Sulpi. in uita Martini. Gregor. lib. 3. Dialog. cap. 3. Grego. Patriarch. Alexandri. in uita Chrysostomi. Sozomen. lib. 7. cap. 25. lib. 2. cap. 1. lib. 1. cap. 8. Gregor.

Nissen. in uita Macrinae. Hieron. de uiris illustribus, & in Psal. 4. & in Ezech. cap. 9. & ad Fabiolam de ueste Sacerdotali. Proco. de bello Persico. Euagri. lib. 4. histo. Eccles. cap. 26. Chrysost. hom. quod Christus sit Deus. Paulin. epist. 11. ad Seuerum. Gregor. lib. 7. epist. 126. 109. 53. lib. 9. epist. 9. Sulpit. lib. 2 sacrae historiae. Greg. Turo. in uita Christi. Eutro. lib. 11. rerum Romanarum. Euodi. lib. 2. de miraculis Stephani protomartyris. Sophron. in prato Spirituali cap. 45. Damasc. in Apolog. 3. contra imag. oppug.

IX.

His Patrum sententijs accedant grauissimarum Synodorum iudicia & definitiones. Suspicio (inquit Constantin. Magn.) & amplector uenerandas imagines, adorationem autem quae sit secundum λατρείαν, hoc est Dei culturam tantummodo supersubstantiali & uiuificae Trinitati confero. Synodus 6. Cum (inquit) Crux uiuifica illud salutare nobis ostenderit, nos omne studium adhibere oportet, ut ei, per quam ab antiquo lapsu saluati sumus, eum, qui par est, honorem habeamus. Vnde & mente & sermone & sensu adorationem ei tribuentes, Crucis figuras, quae à nonnullis in solo ac pauimento fiunt, omnino deleri iubemus, ne incedentium conculcatione uictoriae nobis trophaeum iniuria afficiatur. Qui secus fecerit excommunicari decernimus. Eadem. Inter uenerabilium imaginum picturas (inquit) Agnus digito praecursoris demonstratus depingitur, qui in figura receptus est gratiae, adumbrans nobis uerum illum, per legem Agnum Christum demonstratum. Antiquas ergo illas figuras & umbras, uelut quasdam ueritatis notas, adumbrationesq; Ecclesiae traditas uendicantes, gratiam ijsdem proponimus, & ueritatem hanc, ut legis complementum, suscipimus &c. Synodus septima. Apostolicas (inquit) Ecclesiae traditiones, quibus ueneratio cultusq; Sanctorum docetur, recipimus & ueneramur. Eos autem ut ministros amicos, et filios Dei existentes honoramus. Honor enim, qui à conseruis idem sentientibus inuicem exhibetur, indicium est beneuolentiae erga Dominum. Sunt enim promptuaria Dei, & pura Christi habitacula, Spiritusq; sancti immaculata specula. Sancti enim in Dei manu sunt: ob idq; preciosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius: Saluator noster Christus fontes salutares, Sanctorum reliquias nobis reliquit, multis modis beneficia fundentes. Martyrum enim ossa uirtutes multas operantur: atq; id per Christum, qui in ipsis habitat. Cum his etiam Sanctas imagines reueremur: principio adorantes Dei uerbi, propter nos incarnati, Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi, qui formam serui assumpsit, imaginem. Veneramur etiam & adoramus

[Marginal notes: Syno. Nic. e. 2. act. 3. — Cano. 73. — Iustin. in Cod. lib. 1. tit. 8. — Can. 82. — Nice. 2. act. 3.]

ramus imaginem Deiparæ & Dominæ nostræ, irreprehensibilis, immaculatæ & inexplicitæ castitatis matris, quæ illum peperit. Quin etiam Sanctorum Apostolorum, Prophetarum, & uictorum Martyrum, Sanctorumq́; & beatorum ueluti amicorum Dei imagines colimus, non in materia aut in coloribus honorem constituentes, sed per hoc officium nostrum, quod ipsis à Deo, quorum typum imagines gestant, debemus impartientes: cum sciamus iuxta Basilij Mag. sententiam, quod imagini honor exhibitus, ad ipsum prototypum referatur. Synodus uniuersalis postrema. Mandat (inquit) sancta Sess. 25. Synodus imagines Christi, Deiparæ Virginis & aliorum Sanctorum in templis præsertim retinendas & habendas: ijsdem debitum honorem & uenerationem impertiendam: non quod credatur inesse aliqua in ijs diuinitas, uel uirtus, propter quam sint colendæ, uel quod ab ijs sit aliquid petendum: uel quod fiducia in imaginibus sit figenda, ueluti olim fiebat à gentibus: sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repræsentant: ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus capita aperimus & procumbimus, Christum adoremus: & Sanctos, quorum illæ Floren. Senonensis, Colonie. Mogun. Augusta. ect. similitudinem gerunt, ueneremur. Paria in alijs non paucis Concilijs passim uideas.

Hæc autem omnia, ueluti signis quibusdam diuinis confirmantur uirtutibus, non nostra, aut auorum nostrorum memoria solum, apud Diuorum iconas editis: uerum etiam Apostolorum et Martyrum temporibus non infrequenter ibidem patratis. Mulierem (inquit Eusebius) quam sanguinis Lib. 7. cap. 14 hist. Eccles. profluuio laborantem à Saluatore curatam Euangelia tradiderunt, huius urbis ciuem constat fuisse, domusq; eius in ea etiam nunc ostenditur. Pro foribus uerò domus ipsius, basis quædam in loco editiore collocata monstratur, in qua mulieris ipsius uelut genibus prouolutæ, palmasq; suppliciter tendentis imago ære uidetur expressa. Adstat uerò alia ære nihilominus fusa statua, habitu uiri stola compte circundati, & dexteram mulieri porrigentis. Huius ad pedem statuæ, e basi, herba quædam noua specie nascitur: quæ cum exorta fuerit, excrescere usq; ad stolæ illius ærei indumenti fimbriam solet: quam cum summo uertice crescens herba contigerit, uires inde ad depellendos omnes morbos, languoresq; cōquirit: ita ut quæcunq; illa fuerit infirmitas corporis, haustu exiguo madefacti salutaris graminis depellatur, nihil omnino uiriū gerens, si anteq̃ æreæ fimbriæ summitatē crescendo contigerit, decerpatur. Hanc statuam, ad similitudinē uultus IESV formatā tradebant,

quæ permansit ad nostra usq; tempora, sicut ipsi oculis nostris inspeximus.

In serm. de imagine Iesu in Beryt. Syno. 7. act. 4. Athanasius. *Cum inquit ad eum locum uenissent seniores et Principes sacerdotum, cum ipso simul delatore, irruunt in domum, & confestim imaginem Saluatoris nostri contemplati furore pleni, Iudæum quidem extra Synagogam eijciunt, imaginem uerò detrahunt dicentes. Quemadmodum patres nostri illuserunt illi, ita & nos faciamus: tunc omnes cœperunt inspuere in faciem sanctæ imaginis Christi, colaphisq; hinc inde faciem cedentes, dicebant: quæcunq; designarunt patres nostri in illum, ea et nos quoq; faciamus in illius imaginem. Addunt deinde. Audiuimus patres nostros pedes manusq; ipsius clauis fixisse, quid obest quo minus & nos idem tentemus? Confestim autem imaginis Domini pedes, manusq; clauis forauerunt. Tandem aiunt. Clarum nobis est quod lancea latus illius pupugerunt: nihil à nobis omittatur, addamus & hoc ipsum. Itaq; lanceam cuidam porrigentes, iusserunt ut latus imaginis Dominicæ transfigeret. Ex eo autem confestim sanguis & aquæ riuuli emanare cœperunt. Dixerunt autem Principes Sacerdotum: Adferatur uas ad locum uulneris & uideamus exitum rei. Qui ilico detulerunt hydriam, & ad locum uulneris, unde aqua & sanguis decurrebant, statuerunt: quæ absq; ulla mora statim repleta est. Et infra. Aegrotantes autem plurimi ad hoc spectaculum sunt adducti, qui & ipsi compuncti, & mirabili Dei uirtute undiq; perfusi, sensu redintegrato pristino, dum ad propria sanißimi reuertuntur, laudes Dei omnipotentis filio Iesu Christo Domino nostro, ab omni populo persoluuntur.*

Matth. 25. — Ioan. 19. — Ioan. 19.

In concert. cont. quendam Iudæū. Syno. 7. act. 4. *Leontius Cyri Episcopus. Vere (inquit) magna est Iudæorum cæcitas, magna impietas, in ueritatem iniurij sunt, ingratæ Iudæorum linguæ in Deum conuitia dicunt. A sanctorū Martyrum reliquijs & imaginibus sæpe dæmones fugantur. Hæc tamen scælesti illi contumelijs afficiunt, peruertunt, illudunt & subsannant. Dic mihi quot inumbrationes, quot scaturigines, sæpe etiam & sanguinis fluores ex imaginibus & reliquijs Martyrum extiterunt: ij tamen corde insensati uidentes non credunt, uerum fabulas ista & nugas esse arbitrantur.*

Com. de mirac. Archang. Micha. *Pantaleon Charthophylax magnæ Ecclesiæ. In ipso (inquit) Diuino & uenerando & pulcherrimo templo Archangelico, omnes qui mari agitantur & accedunt in fide, & ex intemerata illa eius imagine bibunt unguentum emanans, omnis generis morborū statim assequuntur, quæ speratur, curationem.*

Narratione translatæ εἰκόνος τῆς ἀχειροποιήτου ex Edessa Const. *Metaphrastes. Hic (inquit) cum aliquot dies essent morati, multis illic factis miraculis, rursus iter sunt ingreßi, Et rursus in uia innumerabilia fiebant miracula à sacra imagine & Christi epistola. Cæci enim ex improuiso aspiciebant, & claudi reddebantur sani, & membris integri: saltabant qui longo tempore in lecto*

in lecto decubuerant, & sani fiebant, et quib. erant manus aridæ, et (ut semel dicam) fugabatur omnis morbus & infirmitas: & qui sani erant, Deum glorificabant & laudabant eius mirabilia. Ioh. Patria. Alex. Christoph. Antioch. & Basi. Hierosol. in epist. ad Theo. Imper. Euagrio li. 4. Ec. hist.

XI.

Quæ hactenus ex Patribus & Synodorum decretis in medium attulimus, manifestè ostendunt, aliud Christianos Christianè & Catholicè institutos, Christi & Sanctorum imaginibus: aliud Gentiles & Paganos Deorum suorum simulachris deferre: Hi namq; non externè tantum, uerùm etiam internè Idolis affixi, totam spem ac fiduciam suam, in ea reponunt: ijs seruiunt, & offerunt: ea de futurarum rerum euentibus consulunt: Illi uerò Christi uel Diuorum iconibus horum nihil, sed Deo Opt. Max. isthæc omnia admetiuntur in solidum. Venerabiles (inquit Synodus sexta) imagines Christiani non Deos appellant, nec inseruiunt ijs, ut Dijs, nec spem salutis in ijs ponunt, nec ab ijs futurum expectant iudicium: sed ad memoriam & recordationem prototyporum, eas uenerantur & adorant: sed non seruiunt illis, nec alicui creaturæ λατρέια, hoc est cultu Diuino. Hæc Synodus. c. Venerabiles. de consf. d. 3.

XII.

Improbißima proinde eorum est calumnia, qui propter externam illam imaginum uenerationem, tanta Patrum omnium & Conciliorum consensione, iam inde ab initio Ecclesiæ receptam, Christifidelibus idolomaniæ crimen imponere non erubescunt: cùm certũ sit, tantam esse Christianis cum his, qui Deum, ut Deus est, effingere & formare intendunt, concordiam, quanta est communio lumini cum tenebris, aut Belial cum Christo. 2. Cor. 6.

XIII.

Non iam disputamus de abusibus, qui uel in sumptibus nimijs, uel in extraneis imaginum figuris hic nonnunq̃ sese immiscent: nec rursum de falsa uulgi imaginatione, qui, ut simplex est, propter uenustatem uel uetustatem, uni interdum imagini, plus uirium tribuit, quàm alteri: sed de uero & legitimo imaginum usu. Quod si alicubi abusus quispiam hãc in rem irrepsisset: quemadmodum ex his, quæ supra ex Gregorio allegauimus, in Ecclesiam Maßiliensem irrepsisse creditur: is prouida Pastorum cura et solicitudine, saluis interim & incolum inibus iconibus, oportunè è medio submoueatur. c. Perl[illegible]um, de consf. dist. 3.

XIIII.

Multo sanè magis à pictoribus uel Curionibus, quàm à rudi plebecula, plerunq; hic peccatur: ab his quidem, quod officio probè, ut debuerant, non fungantur: ab illis uerò, uel quod fœdè arte sua abutentes, & contra Conciliorum decreta apertè committentes, eiusmodi imagines effingant,

quæ procaci quadam uenustate, inhibentium animos ad lasciuiam potius inuitant, quàm ad pietatē, uel Diui imitatione instituant. Facile (inquit Synodus sexta) sensus corporei, quæ sua sunt, in animam deriuant. Picturas igitur oculorum præstigiatrices, siue in tabulis siue aliàs propositas, & mentis corruptrices, & sufflammationum ad turpes uoluptates incitatrices: statuimus ut nullatenus in posterum pingantur. Si quis autem hoc fecerit, excommunicetur.

Can. 100. Synod. Trident. sess. 25. Nicæ. 2. act. 4. Mogunt. c. 41.

XV.

Cæterum inter falsi dogmatis picturas uel effigies, non reijcimus sanctorum Angelorum imagines, Nam ut maximè beatæ illæ mentes, quos Angelos appellamus, corporis sint expertes: tū quod corporū humanorum similitudine sumpta, mortalium more, inter mortales nonnunquam obuersentur, rectè humanis lineamentis efformantur. Idem de SS. Trinitatis effigie meritò statuitur: dummodo tamen publicè constet, non ideo diuinas personas figurari, quod oculis carneis à quoquam queant conspici: aut ullis omnino coloribus aut figuris effingi: quale quid olim de Deo persuasum habebant Antropomorphitæ, (Est enim Deus simpliciter secundum se incircumscriptibilis, & infigurabilis) sed ut ea, quæ sub figuris quibusdam & ideis de Deo Opt. Max. in Sacris referuntur, humanis obtutibus qualicunque tandem symbolo subijciamur.

Syno. 7.

Syno. Trid. sess. 25.

XVI.

Hæc autem de Patre & Spiritu sancto accipienda sunt: Nam ad filium quod attinet, propter carnis communionem, potest is in forma nascentis, orantis, prædicantis, patientis, ex mortuis resurgentis, & alia quauis, quæ œconomiæ illius non dissentiat, effigie exprimi. Quemadmodum etiam Apostolis adhuc superstitibus, in plerisque similibus non expressus modo, uerumetiam religiosè cultus legitur.

Bell. l. 7. c. 14.

XVII.

Etenim Synodus septima, in qua de imaginum usu & ueneratione à trecentis & eo ampliùs Patribus, ex professo disputatum est, Apostolicum illud decretum, quo cauetur, seruatos non amplius ad idola aberrare, sed ante columnam Dei & hominis certare debere, haud aliò referendum existimauit, quàm ad Saluatoris nostri statuam: siue ea fuerit Eusebiana illa, cuius paulò ante meminimus, siue alia quæuis.

XVIII. Quid

XVIII.

Quid quod Dominus ipse (si tamen Nicephoro, Iob Patriarchæ Alexandrino, Christophoro Patriar. Antiocheno, Basilio Patria. Ierosolym. imo uero Ranachaiæ ipsi, quæ τῆς ἀχειροποιήτου εἰκόνος ἀνακομιδὴν, τὴν ἐξ Ἐδέσσης εἰς Κωνσταντινούπολιν, solenni ritu olim celebrabat, fides est) sacratißimi uultus sui ideam linteo impressam una cum literis ad Abagarum, Edessenorum Principem mittere dignatus fuerit? Decimo quinto Mensis Augusti (inquit Metaphrastes) Imperatorib. festum (Virginis ad cœlos assumptæ) celebrantibus, in uenerabili templo Dei matris, quod est in Blachernis, circa crepusculū illuc peruenerunt ministri harum rerum preciosarum: Et reposita est in superiori oratorio diuini huius templi arca, quæ intus habebat imaginem et epistolam. Quo uenientes Imperatores, eam extra reuerenter adorauerunt. Deinde cum honorificè magno comitatu, & multis lampadib. ad regiam eam portassent triremem, cū ea uenerunt in Regiam, & in templo, qd' illic est, & nominatur Pharos eam reposuerunt. Die sequenti, qui erat mensis sextus decimus, piè & reuerenter salutantes eam rursus, & adorantes: illinc Sacerdotes & iuuenes Imperatores (senex enim domi manserat propter corporis infirmitatem) cum Psalmis et Hymnis et copioso lumine, per descensum ad mare, ea in triremi regia rursus imposita, propè urbem remigantes, ut quodammodo urbem conseruaret per ipsum in mare ingressum, appulerunt extra murum ciuitatis, qui est ad occidentem. Quo in loco egreßi è naui, pedibus ingredientes Imperatores, & totus Senatus & sacrorum Antistes, cum tota Ecclesiæ congregatione, eo, quo par fuit, comitatu prosecuti, tanquam aliam arcam, uel potius supra eam uas deducebant, quod illa sanctißima & preciosa custodiebat. Et cum, quæ extra murum erant, transmisissent usq; ad portam auream, deinde ingreßi ciuitatem, cum Psalmodijs & Hymnis sublimibus, & canticis spiritalibus, & infinito lumine lampadum, publicam celebrantes deductionem, iter faciebant, per mediā ciuitatem, sanctificationis & roboris, per hoc esse participem ciuitatem credentes: illæsamq; & inexpugnabilem esse in æternum conseruandam. Tam multæ autem lachrymæ, præ gaudio sunt profusæ, & tam multæ, ad Deum preces, et gratiarum actiones factæ sunt ab uniuersa ciuitate, diuina imagine & ueneranda epistola transeunte per mediam ciuitatem, ut uerbis explicari nequeat, utpote, quod quæ uidit oculus, non poßit consequi oratio, hæc ille inter alia huc pertinentia pene innumera.

In serm. translat. ἀχειροποιήτου εἰκόνος ex Edessa in Cōstantinopolim.

XIX.

Simili munere Veronicam religiosissimi pectoris fœminam, ab eodem Deo & Domino nostro iam iam immane illud Crucis supplicium subituro, non à Romanis, apud quos hoc tantum κειμήλιον maxima cum religione & pietate asseruatur, & statis anni temporibus præsentibus spectandum & adorandum exhibetur, solùm: uerùm etiam ab exteris & longè positis gentibus & nationibus, donatam fuisse creditur.

XX.

Pari fide atq; constantia traditum et receptum est, D. Lucam complures, cum Christi Domini nostri, tum Deiparæ quoq; Virginis, & sanctorũ Apostolorum Petri & Pauli imagines effinxisse: Nicodemum occultum illum Redemptoris nostri discipulum, Christi crucifixi Icona ad ultimum usq; uitæ spiritum, religiosissimè apud sese seruasse: Beatum Syluestrum, Pontificem eius nominis primum, D. Petri & Pauli effigies, Constantino Magno hoc ipsum efflagitanti, per Diaconum suum ostendisse.

XXI.

Syno. Nicę. act. 2. Constan. in edict.

Postquã (inquit Adrianus Pont. Max.) narrationis finem fecisset (Syluester) quæsiuit Imperator (Constantinus) quales nam arbitraretur esse Deos Petrum & Paulum, quos uiderat? Respondit Pater, nequaquã esse Deos, sed seruos & discipulos Domini nostri Iesu Christi. Hæc cum audiuisset Imperator, percunctatus est, num alicubi essent historiæ illorum: mox beatus Syluester per Diaconos adferri, quas habebat, Apostolorum imagines, iussit: quas cum Imperator aspexisset, clara uoce proclamauit: Hi sunt, quos per uisum conspexeram, neq; amplius incredulus sum, paretur lauacrum in meam salutem. Rursum Metaphrastes. Hoc (inquit) inter cætera gratissimum est, quòd ipsum quoq; typum assumptæ humanitatis Christi mei, ac signum eius, quæ illum pepererat, & assumptam humanitatem dederat, primus hic cera ac lineamentis tingens, ut ad hæc usq; tempora in imagine honorarentur, tradidit, tanquam non satis esse existimans, nisi etiam per imaginem ac typum uersaretur cum his, quos desiderabat: quod feruentissimi amoris signum est. Athanasius. Ille uero, inquit (Metropolitanus) interrogabat (Iudæos) qualiter imago ab ijs fuisset reperta, & si ab aliquo eam accepissent: at illi retulerant ei, quod quidam Christicola, per obliuionem in cellula proxima Synagogæ demisisset eandem, dum se ad alium locum transferret hospitandi gratia: iubetur inquiri Christianus: repertus, & studiosissimè interrogatus, quo modo icona apud se deuenisset, uel à quo tam mirabiliter posita esset, respondit, Nicodemum, qui ad Iesum noctu uenerat,

In vita D. Lucæ Euangelistæ.

In serm. de imag. Seruatoris nostri a Berytanis Iudæis confossa.

proprijs

proprijs manibus eam composuisse, & dum moreretur, Gamalieli tradidisse: Gamalielem Doctoris gentium διδάσκαλον, reliquisse eam Iacobo: Iacobum Simeoni & Zachaeo: & sic per successiones temporum peruenisse ad parentes suos: à quibus ex hac luce migrantibus eam, quasi iure haereditario sibi traditam, usq; nunc possideret. Haec ille.

XXII.

Deniq; licet non idem semper apud omnes, imaginum fuerit usus, apud omnes tamen gentes & nationes aliquem earundem usum extitisse, ex antiquorum monumentis tam manifestum est, quàm id quod manifestißimum. Vt interim omittam Deum Opt. Max. hominem ad imaginem & similitudinem suam efformasse: propitiatorium, Cherubim, altaria, arcam, et alia, id genus non pauca, fieri grauiter praecepisse: & quò rectè fierent omnia. Beselelem filium Vri, & Ooliabum largißimo scientiae & sapientiae haustu potasse.

Gen. 1.
Exo. 25. 26. 27. 28. 29. 30.

XXIII.

Nec obstat his cautum alicubi extare. Non habebis Deos alienos coram me. Item. Non facies tibi sculptile, nec omnem similitudinem, quae est in coelo desuper, nec in terra deorsum, non adorabis eas, nec coles. Rursum. Non facietis Deos argenteos, nec aureos Deos facietis uobis. Item. Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus. Iterum. Non facietis uobis idolum, uel sculptile, nec titulum erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra uestra, ut adoretis eum: Siquidem his, & id genus similibus, nequaquam legitimus imaginum usus inhibetur, sed tantum falsorum Deorum cultus damnatur uetaturq;.

Exod. 20.
Deutro. 4. 5. 5.
Psal. 18.
Leui. 26.
Iud. 6.
Iosue 24.
Deut. 24.

XXIIII.

Etenim si orthodoxis Sacrorum interpretibus autoritas est (ut reuera maxima est) is demum coram Domino, Deos alienos rectè habere dicitur, qui comentitiorum numinum cultura, diuinam Maiestatem offendit: etiamsi in eo ipso cultu, nullius prorsus imaginis, aut sculpturae praesidio utatur: Is uero sculptile, aut idolum facit, qui lignum aut saxum, aut aliud quiduis eiusmodi, in qualemcunq; figuram efformans, arbitratur Diuinam naturam ei figurae, quam ipse temerè sibi confinxit, esse similem: esto in rerum natura eiusmodi extet nihil: Similitudinem autem fabricare dicitur, qui τὸ θεῖον cuicunq; corpori coelesti, uel sublunari simile esse ratus, eius rei typum sibi componit: quo modo filij Israël falso persuasi, Apim Aegyptium (qui forma bouis exprimebatur) uerùm esse Deum, fecerunt sibi uitulum conflatilem. Is deniq; eiusmodi res adorat uel colit, qui totam spem ac fiduciam suam, in eas reijcit, ijsq; tanquam ueris numinibus litat sacrificium etc.

XXV.

Hac tamen interpretatione nihil eorum sententiæ derogatum uolumus, qui existimant non solùm falsorum Deorum statuas, sed ad semouendam omnem Idololatriæ occasionem, quasuis etiam alias rerum similitudines, quæ publica autoritate receptæ non essent, apud Iudæos fuisse proscriptas. Nam
2.Para.3. publicâ, hoc est, diuina uel regia autoritate non oẽs imagines reiectas fuisse,
Exo.25. 26.39. apertißime ostendit Synagogæ praxis. Quandoquidem præter Cherubin, arcam, & propitiatorium Templi proceres, admiserant etiam serpentem
3.Reg.7. æneum, boues, leones, liliorum & malorum granatorum formas: rerum uerò publicarum administri, nummismata Cæsaris, uel alterius rei imagine insignita, & alia eius farinæ complura.

XXVI.

Exo.20. Math.5. Iaco.5. Vt igitur scriptum extat, non occides. Rursum non iurabis omnino neq; per cœlum, neq; per terram, neq; etiam per caput tuum, & tamen ex alijs locis colligitur, utrumq; interdum licere: Sic quoq; præceptum fuit, non facies tibi sculptile, nec omnem similitudinem: & tamen ex alijs locis manifestè euincitur: nõ omne sculptile, nec omnem etiam similitudinem ἁπλῶς fuisse inhibitam, sed eam tantum, quæ cum falso Dei cultu, uel certè cum falsa Dei æstimatione erat coniuncta. Quod si maximè imaginum omnium usu Iudæis fuisset interdictum, adhuc tamen interdictum illud nullum nunc robur obtineret, cum sit Iudaicum & ceremoniale, uel etiam iudiciale, non morale.

XXVII.

Cæterum ut citra Maiorum autoritatem, nefas erat apud Iudæos, nouas imagines, uel inusitatas statuas in publicum proferre, ita etiam religionis nostræ Principes, insolitas imagines, uel nouas Diuorum reliquias, citra accuratam rei discußionem, nequaquam deberent admittere, aut iam ante admissas, si quam erroris, aut superstitionis occasionem preberent tolerare: sicut etiam Ezechias Rex serpentem æneum, quem Moyses populi seruandi causa erexerat, propter eiusdem populi salutem aboleri curauit.

XXVIII.

Sess.25. De hac nouarum imaginum uel reliquiarum καινοσεβεία Synodus Tridentina: sic cautum reliquit. Nemini (inquit) liceat ullo in loco, uel Ecclesia etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere, uel ponendam imaginem curare, nisi ab Episcopo approbata fuerit: statuit eadem etiam, nulla noua miracula admittenda esse, nec nouas reliquias recipiendas, nisi eodem

eodem recognoscente & approbante Episcopo. Qui etiam simul atq; de ijs compertum aliquid habuerit, adhibitis in consilium Theologis & alijs pijs uiris, ea faciat, quæ ueritati, & pietati iudicauerit consentanea. Et hæc obiter de Sanctorum origine, inuocatione etc. Laus Deo.

AMice Lector, ne ultima hæc pagella uacua maneret, epilogi loco, ex Theodoreto subijcere hic lubuit, quis olim Maiorũ nostrorum, circa Diuorũ cultũ, extiterit sensus, quis feruor, quãta religio. Martyrũ (inquit) templa, conspicua cernuntur, magnitudineq; præstantia, omni præterea ornatus genere uariata, Neq; uero hæc per annum semel, aut bis, aut quinquies aduenamus, sed in eis sæpenumero dies festos peragimus. Qui homines prospera sunt ualetudine, conseruari eam sibi à Martyribus petunt, qui uero ægritudinem aliquam patiuntur, sanitatem exposcunt. Item qui peregre aliquo proficiscuntur, petunt Martyres sibi comites esse in uia, uel potius itineris duces, qui uero iam sospites redierunt, gratias agunt acceptum beneficium confitentes. Non qui se ad Deos accedere arbitrentur, sed qui orent Dei Martyres, tanq̃ diuinos homines, intercessoresq; sibi eos apud Deum aduocent, ac precentur. Pie uero, fideliterq; precatos ea maxime consequi, quæ desiderant, testantur illa, quæ uotorum rei dona persoluunt, manifesta nimirum, adeptæ sanitatis indicia. Nam alij quidem oculorum, alij uero pedum, alij porro manuum simulachra suspendunt, ex argento, auroue confecta. Hæc itaq; omnium spectaculo exporrecta, testantur morborum depulsionem, cuius [illegible] signa iuxta sa[illegible] [illegible] quibus [illegible], nec, inquam, sepulturam ibi Martyrum, g[illegible] us ostendunt, Martyrum autem uirtus, quem ipsi coluerunt Deum, uerum esse Deum declarat.

De Græc. affect. cura. lib. 8.

C. D. Hæc, de Sanctis materia, Præside Theod. Peltano, Respondente vero Caro. Vrsino, discutietur proximo die Lunæ.

Errata legitimum sensum perturbantia, sic emendato.

Thes.10. de cultu reliquiarum, lege feretrum. The.11. agedum. The.35. aliquid Christi, cui per se adoratio debetur, uideri possunt. The.36. nec obstat his illud.